1620.

CÆSARVM, REGVM ET PRINCIPVM, VNIVS ET EIVSdem partim generis & nominis, partim etiam Imperii ac Dominationis,

Vitarum Parallelarum,

LIBRI DVO.

Auctore

CHRISTOP. VARSEVICIO C.C.

Quod quorum quodq; contineat, pagella post præfationem monstrabit.



FRANCOFVRTI,
Apud Wolffgangum Richterum, sumptibus Nicolai Steinii.

M. DCIV.

Testamento relictus ab Adm Rndo Dno
Piotrowski piè defuncto Promot. Scti Rosarij
Conventui Vielicensi Fratrum Min. Reform.


INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO.



RVDOLPHO II. CÆSARI AVGVSTO, HVNGARIÆ BOHEMIÆQVE Regi, Archiduci Austriæ, &c.

CHRISTOPHORVS VARsevicius C.C. felicitatem sempiternam.



VOD olim Basilius Orientis Imperator, Auguste Cæsar, Leoni suo suadebat illi filio, ne veterum legere & euoluere historias vel minimum grauaretur; paruo labore quod illi magno congesserant perspecturus, bonorum virtutes, malorumq; vitia, tum varios humanæ vitæ casus, rerumq; ac temporum vicißitudines; ac deniq; Regnorum & Imperiorum mutationes, ex mutis quam ex consiliariis viuis rectius cogniturus; Id equidem quoq; videre videor mihi conuenire: vt quantus quantus sum, qui scio quā ratione tui sim semperq; fuerim nullus, præsbiter quidē certe, rogem obtesterq; te, vt historiam

actionum tuarum omnium veluti quandam habeas cynosuram; testem bonorum aut secus morum, nunciam euentuum, pedissequam Diuinorum oraculorum, & lucem ac thesaurum veritatis. Nihil enim falsi audet, nec veri non audet dicere historia: cuius scriptori ante illud supremum tribunal reddēda erit ratio, & nullis prorsus mēdis aut assentatione scatere debet narratio. Ad cuius quidem ego historiæ exemplum magno Imperatore dignum, offero tibi librum Cæsarum, Regum & maximorum Principum vitarum Parallelarum; quod non propterea facio, vt de te suspicer (quod absit) aliquid mali; qui bona lætaq; omnia & optare, & sperare volo atq; debeo, sed vt (quemadmodum facis) diuinam in humanis rebus agnoscas potentiam, & tam lætos, quam tragicos ex illis Regum exitus in historia intueare. Peccatis quidem mortalium exigentibus, & fatalibus imperiorum periodis impendentibus, quæ diu multumq; differtur, Diuina vltio tandem aliquando accumulatur. Deus quippe videt, non irridetur nec irridet: inclinat, non impellit; scit, non sancit; vocat, non vrget; si quæ sunt fata, fatua fatuorum consilia potius appellanda. Ad quæ omnia clarius meri-

diana

diana luce ostẽdenda, aliquot Cæsarũ & Regum, & quidem partim eiusdem nominis & generis, partim vero imperii & dominationis collegi paria, ex Græcis & Latinis prompta historiis; quæ tibi potissimum Cæsar dicare habui constitutum. Cæsarum namque & Principum historiæ Cæsaribus iure & merito imprimis consecrantur. Quod eo etiam feci libentius, quo tua auctoritate contra morsus inuidorum tecta, & eiusdem nominis & imperii Principum vitarum parallelarum memorabilibus exemplis sunt distincta. Quod in aliis aut funestam cladem, aut imperii denotabat vastitatem, in te vero imperii pollicetur accessionem sempiternam. Nam quod quidem ad te non attinuerit, vt à Rudolpho primo Cæsar Austriacus sit alter, tantum abest, vt infausti aliquid de te suspicemur, vt etiam læta sperare nos debere omnia quis ignoret? Cum enim hi, quos hic ego percenseo, dissimiles à se fuerint, tu Rudolpho primo ita similis es, vt similius videatur nihil. Qua de re dicturus Rudolphi primi satis superq; ab aliis tractatam non persequar historiam, sed à te vno & contra Turcas felicissimo Principe initium sumam; cuius Auo, Patri, & Tibi ipsi per multos annos

seruiui, non minus constanter, quam difficilimis etiam rebus & temporibus, ad omnia obsequia studiose. At natus tu quidem es, tribus Cæsaribus, qui vnus successit alteri regnantibus, Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. superstitibus quos dando tibi nomine, nihil, ominosum quod fuisset, latere poterat & debebat. Lyncei enim regnatricis familiæ sunt oculi, & filiis maxime primogenis nominibus dandis omnia dispiciunt minutatim. Sed vt hoc etiam non fuisset, quod fuit certe maxime, constat saltem educatum te ita fuisse, vt cum à natura illustri & eximia, tum & à recta institutione tua, nihil non augustum poterat proficisci: quod vel inde colligitur, cũ domi forisq́; semper cum magna lauda versatus sis, & nullum non specimẽ à iuuẽtute tua edideris præclari animi & ingenii, virtutis, pietatis, & fortitudinis tuæ singularis: & deniq; cũ præceptores habueris, non modo bene dicendi, sed & bene viuẽdi, summos doctores; qui etiam nauata tibi egregia opera amplißimos honores consecuti sunt, & à tanto tamq́; magnanimo Principe omnia præclara insignia virtutis, & ornamenta dignitatis retulerunt. Idem enim fere præceptori, qui honos debetur etiam Genitori.

nitori.

nitori. A quorum domesticis præceptionibus, externorum etiam mores & vrbes videre tibi placuit: cum in auunculi tui Philippi Hispaniarum Regis aula (at quali & quanta?) fere decennium consumpsisses; ex qua non prius ad tuos reuersus es, quã probe exculto ingenio, & ad gubernacula Reipub. conformato, ac per eandem quidem illam Reginã prouinciarũ Italiã rediisti incolumis: vt occidẽte viso Aquilonem, Germaniã quoq; peragrasses, & non prius præesse quam subesse visus es, patre adhuc viuo & res tuas, non tã mouente, quã promouente vnico ac felicissimo illo artifice scienter & moderate gubernandi. Iam vero cum fortes creentur fortib. & ingeniosi ingeniosioribus, neminem præterit, quis parens materq; tua fuerint, & quã illud recte in eã ceciderit, vt proneptis, neptis, filia, nurus, soror, cõiunx, & mater Cæsaris memorabili, nec vnquam audito Elogio decoretur. Quod Michaelem illum nobilem (at quam nobilem Venetum?) qui apud omnes omnium nominum Principes suæ Reipub. nomine legatione est functus, ipsum coram ei ferunt dixisse, & cum alias summæ prudentiæ laudes, tum vel hoc ipso nomine etiã retulisse. Vt interim silentio illud transeam, quod magna fe

licitatis & laudis fuerit tuæ, Aui & Patris consiliarios, & quod summum est genitorem ipsum prudentiss. Principem Magistrum institutoremq́ tuum habuisse. Nullus enim maior quam patris in filium fuerit amor, & cum legendo, tum sapientes quotidie audiendo inprimis erudimur. Iam vero non ibo inficias, in omni omnium seculorum memoria multa (quod aiũt) Neroniana quinquennia reperiri, sed qui pene sex quinquennia feliciter complesset imperando, aut paucos, aut inuentum fuisse neminem. Tanto vero minus hæc à te gubernationeq́ tua expectanda est mutatio, quod Turcæ de quo Tu cum eo certas magis labascit imperium: si imperium dixeris, quod latrocinio cõparatur. Tu vero animo, corpore, virib. & facultatib. ita es firmus; vt nihil eorũ quæ humanitus in te cadere possunt, pertimescas. Numen vero ita habes propitium, vt matris religiosissimæ adiutus precibus, nõ aliud quam geminatas de barbaris victorias perpetuo sortiare. Quid quod & annum, (si quid ad rem pertinuerit) quo pater fuerat mortuus, superasti iam climactericum: & matris ætatem, vt in magna spe sumus, adæquabis, & tantum abest, vt hic tyrannus superatu tibi sit incredi-

bilis; vt etiam duce & auspice Deo breui facilis, vt mea fert opinio, sit futurus. Eadem enim Monialis illa, quæ Rudolpho primo Atauo tuo imperiũ prædixerat, &, ob reuerẽtiã Christi corporis, habitã posteritatẽ eius gloriosam & diuturnam futuram prænunciauerat; Te quoq; & totam progeniem tuam proculdubio intellexit. Ex qua imperii tui consors, liberis Electorum imperii suffragiis declaratus, non detrimento libertati, sed ornamento dignitati Germanicæ id futurum, & illos Friderici III. Cæsaris diuturnitatis Austriacæ prænuncias voces non vanas esse, testatum facies, Austriacam familiam ad omnem duraturam perpetuitatem. Et re vera si quis consideret omnia, eo tandem deuenit res, vt non nisi duæ restent iam familiæ, penes quarum alteram Totius orbis imperium haud dubie finietur; Turcica Parricidialis vna, & Austriaca domicilium virtutum altera. Quæ quoniam iuste & moderate regnat, illa nullo iusto titulo & in re aliena rapit & occupat, credibile est Austriacæ potius, quam alteri præsidium affuturum diuinitatis. Quod & ipse Machometicæ sectæ auctor abhinc mille annis videtur prædixisse. Nunquam enim videas impios Reges & le-

ges diuinitus prosperari: vt ex aduersus Austriaci virtutum omnium opibus, & tot regnorum accessione fulgent, interno & externo vitæ splendore nitent, cultissimis quibusq; gentib. & nationibus præsunt; & Romani Imperii Maiestatem decem electis Imperatoribus sartam tectamq; in hanc diem tuentur & conseruant. Quod profecto gloriæ toto terrarum orbe alteri familiæ datur proculdubio nulli; & optimo iure à tot annorum centenis Dignitas Imperialis defertur præter Austriacos nemini. Vnde olim Principum Electorum nescio quis dixerat, cum Imperator nũ eligi vellet ab altero quæreretur; Quorsum inquit? cum Austriaci plus in alendis falconibus, quam ego in sustentando Imperio haberem in reditibus. Et re vera plurima & maxima ad sustinendam Imperialem requiruntur Maiestatem. Quod ex cõtrariis effectibus, Venceslai Ignaui dicti, & Caroli V. victoris Maximi Cæsarum, fuit vidisse: & non neminem appetiti & suscepti Regum in Reges, qualis est Imperator, dominatus vidimus pœnituisse. Iã & illud quale & quantum est; Quod Austriaca nullum Ottomanica familia semper aliquem habuerit tyrannum; qui vltra terdecem, Tyrannis vl-

tra centum annos vix aliquando perdurauit. At vna illa peculiaris Austriacorum Regum fuerit gloria, clementia & liberalitate floruisse, vnde etiam in Prouerbii Germanici abiit consuetudinem, Quam nescio cuius alterius familiæ munerationem, indignationem Austriacam semper fuisse meliorem. Multi enim quod dent non habent; qui habent, collocare recte beneficia nesciunt; & quod dederis oneri, vltio in quæstu habetur. Quam ego tuam familiæque tuæ laudem perpetuam esse tibi tuisq; cupio: & Austriacorũ Regum aucto immensum Imperio, vt minuatur demum animus, non extimesco. Is enim profecto sum, qui à puero te noui, & cum à Possouien. Patris tui inauguratione in Hispanias ante quadraginta annos proficiscebare; & quæ demũ reuertentis tua fuerat ratio, regnandiq; conditio reminiscendo mecum ipse soleo recordari. Ferdinandi quippe tui Aui, puer nobilis, Maximiliani Patris cum facultate penitiora Palatii ingrediendi, & denique tui ipsius, cum eadem illa facultate, & honorifico stipendio fui ab obsequiis destinatus. Postremo cum Pater Ratisbonæ moreretur, funebri oratione triduo post impressa, vitam & laudes ipsius sum prosequutus,

& Lyn-

& Lyncii denique quo Tu Ratisbona ieras aderam, ignesq; illos Canisiæ, & in oratorio Pragæ, & ipso in oppido Lynciano excitatos memini, quæ apud me omnia tuorum de Turcis triumphorum nuncii, non signa futuræ alicuius fuerant vastitatis. Ignis enim aut purgat, aut obruit: sed tu purgas Europam Turcis, illi autem ne obruant, qui ipsi obrui & ruere per se iam incipiunt, non est timendum. Quo magis vt facis bono esto animo Auguste, & sicuti Rudolphus primus Germaniam domesticis latrociniis, sic tu Europam liberes barbaris; qui hos duodecim annos tot tantaq; contra eos præstitisti. Rei bene gerendæ occasiones non semper occurrunt, & semel amissæ raro redeunt, & interuersæ euanescunt. Coniecti sunt omnium in te oculi, nec desunt felicitatis tuæ inuidi; quam tu inuidiam virtute partam, gloriam non inuidia puta, & quantum in te fuerit, Magnitudine animi factisq; fortibus, Te ipsum etiam superato. Rex exercituum Dominus semper tibi aderit, deesse si tu nolueris Tibi, & saltatorium orbem si quæ est versare fortunam serio quam sero tecum ipse potius recognosces. Audiuit Ezechias ab Esaia cito se moriturum, & fleuit, & non modo salu-

tem

tem, sed vitam etiam longiorem diuinitus impetrauit. Quid tu idem non faceres, & cum aliorum progenitorum tuorum, Aut maxime, tum matris sanctissimæ fœminæ, cuius bono omine faciem refers, vestigiis non insisteres, cuius precibus tantum felicitatis & victoriarum tuarum habes spectatricem. Quod nescio quis Philosophorum, Summo alicubi dixit esse gaudio, cum multum sit prosperis successibus lætari, sed summum in iis genitores adhuc superstites intueri. Magna fortis genii & ingenii tui est gloria: ad cuius famam biennio ante Romam profectus cum essem, in Aulam tuam Persica venerat legatio. Magna vndiquaq; præstantur tibi auxilia, maiora adhuc manent te trophæa, & de hoc barbaro hoste spolia infinita. Tu tamen, cui tot tantaq; adsunt, ipsi nolis deesse (vt dixi) Tibi, neq; indormias vlli bene gerēdæ rei occasioni. Tarditas & iniuria nocumento, & victoriarum mater habetur solicitudo. Sic nimirum barbaris formidabilem, tuis amabilem, sociis venerabilem, omnibus & singulis præstabis te admirabilem. Sic tua regna pacata, vicina reconciliata, contra barbarorum incursus habebis omnia tranquillata. Magnum

fuit

fuit quid, nec scio si volenti facilius, experienti difficilius, contra Turcarum Cæsarem, duodecim amplius annis singulis vexilla circumtulisse; Tu circumtulisti: maximum contra innumerabiles ipsius copias paruis conflixisse, conflixisti: Incredibile tot pugnas feliciter obtinuisse; Tu fere omnes præter vnam illam ad Agriam obtinuisti; In qua etiam ipsa, per vnum & alterum diem, iam Triumpho potiebare, si qui Turcas milites tui vicerant, victoria vti maturassent. Præclarum enim fuerit vincere, sed præclarius victoria vti non nescire. Quid igitur restat? quis tibi actus alter superest, quam vt eundem illum exercituū Dominum, & largitorem victoriarum, Deum Opt. Max. demisse ores, vt qui hactenus rexit & texit te, in posterum etiam numine & nomine suo perpetuo tueatur. Multa ego, per sexennium in aula tua versatus, multa, inquam, quam multum nescio, de laudibus & victoriis cōmentatus sum tuis. Non me pœnitet facti, quem non modo expectationi responsurum, sed ipsam etiam expectationem superaturum spero; opto quidem certe: sed talis obsecro sis, qualis videre velis: talis porro videri, vt Diuinam in humanis rebus, & potentiam agno-

scas,

ſcas, & varietatem caſuum perſpicias, & rerum ac temporum ſubitam mutationem extimeſcas. Numen nomenque Diuinum qui perpetuo timuit, creuit; qui ſecus, periit. Antequam Deus mutauerit ſe, Tu mutato ſemper in melius te. Hoc quidem & populis quos paſcis beneficio gratum, & fama glorioſum, & ad omnem æternitatem tibi fuerit ſalutare. Quod reliquum eſt, huius anni & multorum aliorum feliciſsimos progreſſus & conſecutiones tibi precatus, me meamq́ꝫ commendo tibi perpetuam ſeruitutem. Calen. Ian. Anno 1603.



Vita

Primo libro continentur.

Libro ſecundo continentur.

C. Var-



C. VARSEVICII C. C.

DARII PRIMI REGIS PERSARVM VITA.



IMPORTVNA Cambyſis, Cyri Perſarum Monarchiæ primi conditoris filii, in Ægypto abſentia, & crudeliſſimus per omnia dominatus Darii Hiſtaſpis filii, primi eius nominis Perſarum Regis, cauſam & occaſionem poſt acrem diſceptationem præbuit electionis; vt primum quidem, à ſeptem interfectoribus Magis, vnius in Perſide imperium potiſſimum probaretur. Regnabat tum Romæ Tarquinius, ab vrbe condita ſupra ducenteſimum tertio & trigeſimo, cum eodem illo tempore Darius imperium in Satrapias diuiſiſſet, & tributa

impoſuiſſet populis, pluresque ſimul vxores ducendas eſſe regibus ſuo exemplo non obſcure oſtendiſſet. Nam ad eorum nuptias, ampliſſimis dimiſſis legationibus, circumvicinos Principes inuitabat, & id quodam modo honori gloriæq; ſibi æſtimabat. Cuius mentionem ſacræ etiam literæ honorificam faciunt, hoc ipſo maxime nomine, quod facultatem proſequendi ędificationem Hieroſolymis templi Iudæis perbenigne conceſſerit. Iam vero, cum ſecum ipſe expenderet, nec quietem ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis, poſſe haberi; primus omnium Perſis pecuniam imperauit, vnde etiam propolam & inſtitorem vulgo eum quidam appellabant. Sed ille nihilominus ea moderatione vtębatur, vt non admodum, vel hac quoque in parte ipſa, immoderatus aut iniquus ſpectaretur. Nihil autem eſt ita graue, quod Reip. neceſſitate vrgente, & conſuetudine in populis non alleuetur patiendi. Quo magis etiam quoſdam, qui eius rei gratia contra eum conſpirauerant, coercuit, & per

Paraſangas, quo nomine triginta in Perſide ſtadia continebantur, tributa conferre prouinciales iuſſit, & tributarias functiones in 20. partes diſtribuit, & nec ignauũ, nec impotentem ſuis ſe eſſe Dominum facile omnibus eſt teſtatus. Cuius hiſtoriam texere noſtri inſtituti non fuerit; ſed ſatis ſit dixiſſe, magnum & memorabilem regem eum fuiſſe, & bene adminiſtrato regno cum laude, nec ita immatura morte, ex hac vita exceſsiſſe.. Vixit enim annos, cum regnare incepiſſet, triginta ſex, totidemq; imperauit. Cuius iuſſu in Cyri Perſarum regis tumulo inſcriptum illud ferunt. Amicis amicus fui, & eques & ſagittator optimus. Venatores ſuperaui, & omnia quæ potui egi. Vnum reliquit filium Xerſem dictum, omnium prope Perſarum regum opulentiſſimum, vt etiam ex Danielis Prophetia conſtat: in cuius exercitu ter & vicies centena millia hominum contra Græcos educta fuiſſe, Herodotus teſtatur.

DARII REGIS PERSARVM VLTIMI vita.

SExcentorum & amplius hominum millibus, quos in exercitu ſuo Darius Perſarum Rex habuiſſe conſtanti fama ferebatur, & longe atque late Imperio propagato, Alexandrum Macedonem, ad orbis terrarum Imperium aſpirantem, initio quidem parui, mox mira celeritate, & rara felicitate viribus auctum, tanti fecerat; vt nihil minus; quam conatibus eius obſtare poſſe ſe, re ipſa poſtea experiretur. Quod quomodo geſtum ſit, breuibus exponemus. Morabatur Alexander in Cilicia opinione Darii diutius. Cuius rei non vlla alia aliqua cauſa, ſed ipſa aduerſa extiterat ipſius valetudo. Quod cum Darius timiditati adſcriberet, facile poſtea, cum ad prælium ventum eſt, fefellit eum opinio. Videmus enim in multis virtutis quam ætatis curſum reddi celeriorem. Ab eo igitur Medicorum opera liberatus malo, & Amyntæ Ducis ſui ſpreto conſilio,

qui Darium expectandum censuerat, magnis itineribus contra eum iuit, & nihil amplius cunctandum sibi esse iudicauit. Magnus, vt dixi, & pene innumerabilis Darii fuisse æstimabatur exercitus, vtpote qui terris etiam, quod aiunt, grauis & flumina exsiccasse memoratur: sed vna illa Alexandri, & eius militum patientia, & perseuerantia, peruicit omnia; & non numerum, sed virtutem in præliis valuisse declarauit. Nam cum ad certamen fuerat ventum, principio quidem Alexander à Dario vulneratus ita se recollegit; vt non modo de Dario, sed de toto ipsius Imperio gloriosum egerit tandem victorem. Etenim vltra centena barbarorum millia, in exercitu Darii vna die ab Alexandro cæsa, & magni, tam in eius quam in militum ipsius manus thesauri venisse memorantur; verum inter alia pretiosissimum Darii erat tentorium. In quo cum depositis armis balneare Alexander voluisset, & se Darii delicias ostensurum suis denunciauisset; quidam ex astantibus, non amplius Darii, sed suas appellare de-

bere, ipsi respondit. Qui tamen illa tam magna felicitate non intumuit: sed vel in victoria erga victos modeste & temperanter se gessit, & Darii matri, coniugi, ac liberis, non insultauit, adeo vt non dominum, sed patrẽ nactæ esse viderẽtur. Quæ nimirum est victoria, non tam alios, quam teipsum peruicisse. Quare omnium conuerterat in se oculos: & qui de ea ipsius mansuetudine aliquid inaudierãt, in stuporem rapiebantur. Qua etiam re Darius intellecta, agens iam animam, Deum Opt. Max. precabatur supplex, vt aut se, si fieri possit, saluum, aut non alium, quam Alexandrum in suo Imperio collocari pateretur. Deuictus vero Darius ab Alexandro anno regni sui sexto, cum quo desiit Imperium Persicum, cum circiter ducentos triginta duos annos durauisset.

Comparatio.

NOn tam quidem Darius, hoc nomine Rex Persarum primus, ad dominatũ illum suum, quem miris artib. quæsierat

feliciter olim peruenit; quam infelicius eius nominis alter funditus illam extirpauit. Solet hoc vt plerumq; fit accidere, vt qui in altum per se ipsi tolluntur, & alios præ se aspernantur, ab iisdem tandem deprimantur. Erat autem Darius vterq; ambitiosus, sed prior, quam posterior, maioris ingenii iudiciiq; singularis, vt pote, qui pro re & tempore ad defensionem sui tributa scienter imposuit; vltimus vero Darius magnitudini virium suarum confisus, nihil minus quam de bello initiò cogitauit. Quo etiam facilius pedem impegit, & Alexandrum quem contempserat occisorem & euersorem Imperii secum ipse, licet sero, recognouit. Ab hoste enim, quem contempseris, paruo negotio collabere. Odiosa quippe est superbia, nec humani imbecillitas intellectus numinis potentiæ contrauenit. Animaduerterant quidam Persarum Duces Alexandrũ transitu potuisse principio prohiberi: sed sero, q́ aiunt, sapiunt Phryges, ac vel sapiẽtissime cogitationes nullo vsui fiũt tardiores. Ne multa, magna industria

primus Darius creauit, & Imperium auxit, & veræ religioni fauit, vnde etiam structura templi Hierosolymitani anno nono eius Imperii omnino fuit perfecta: ignauia alter Darius perdidit: ille tributa sanxit, hic vectigalia dissipauit: ille vitam sollicitam, hic luxuriosam egit. Propterea vt ille Imperium Persarum auxit, sic post à Cyro captam Babylonem alter genus, diem, & Imperium suum, ducentis triginta duobus annis interpositis, terminauit.

AVGVSTI CÆSARIS VITA.

ROmani Imperii Maiestatem, quæ longe lateq; sese extendebat, non modo armis decoratam, sed legibus quoque armatam, magis magisque augere, sicuti quidem diutissime Cæsarum omnium eidem Imperio præfuit, sic etiam præ aliis cunctis Augustus Cæsar maxime procurauit. Etenim cum prouincias omnes descripsisset, & certos singulis rectores

præſidesq́; præfeciſſet, tũ & limites Imperii latis legibus eiuſmodi conſtituit, quales ad omnem partim hoſtilem Impetum, partim nequitiam hominum maxime fierent diuturni. Fruſtra enim quies in principatu ſperatur, ſi aduerſus hominum cupiditatem vicinitas non præmunitur. Natus vero Romæ fuerat, gente Octauia, quæ Vellitris olim erat præcipua, M. T. Cicerone & Antonio Conſulibus. Cui adhuc infanti Turino nomen eſt inditum, quod in regione Turina proſpere geſſiſſe rem pater ferebatur. Poſtea quidem Cæſaris, & tandem etiam Auguſti nomen ſibi ſumpſit, & nequaquam quibuſdam ſuadentibus Romuli nomen aſſumendum ſibi iudicauit. Quadrennius genitore eſt deſtitutus, & duodenis Auiam Iuliam pro concione collaudauit. Quadrennio poſt Toga virili ſumpta, militaribus donis ornatus eſt, quantumuis licet nullum virtutis militaris ſignum ob ætatem teneriorem ediciſset. Iam quidem, vt in herbis herbeſcentibus quædam viriditas, virtutis in ipſo apparebat maturitas: vſque eo,

vt vel ipsum C. Iulium Cæsarem, tanti iudicii Principem, in admiratione̅ sui raperet, & maximam opinione̅ de ipso se apud omnes excitaret. Quo etiam fiebat, vt C. Iul. Cæs. (quod aiunt) ne latum quidem vnguem à se discedere passus cum fuerit, & ad certam Imperii spem quodam modo asseruauerit. Abfuit ille tamen Roma, cu̅ idem à coniuratis in Capitolio occideretur. Verum nuncio celeriter accepto, ad adeundam hæreditatem Appollonia, vbi studioru̅ causa morabatur celeriter accurrit. Nec ita multo post, grauissimis bellorum motib. identidem agitatus nunquam fere conquieuit. Ac primum quidem co̅tra Antonium aduersus & Brutum & Cassium alterum, aduersus Lucium Antoniu̅ triumviri fratrem, postremum contra Pompeium, & Cnei Pompeii filium auunculi, vlciscens necem bellu̅ gessit, & ipsorum acta tueri minime dubitauit. Qua in re cum præter suam multorumq; opinionem, Antonium sibi aduersantem deprænendisset, ad Optimates sese contulit, & nulla non arte ac largitione veteranos si-

bi aſcire maturauit. Sed nec in ea quidem ſententia diu perſtitit, & cum ad Optimatum non nemine puerum tollendum potius è medio, quam ad principatũ ad mittendum dicentem intellexiſti, rurſus Antonium ex inimico amicum ſibi fecit, tanta quidem dexteritate & verſutia, vt vel ipſius M. Tullii perſpicacem illam qua gloriabatur prudentiam eluſiſſe, & in deſperationem quandam, vt exclamaret: O me (inquit) nunquam ſapientẽ, & fruſtra quod non erat exiſtimatũ adegiſſe videatur. Multa enim à ſenioribus cum vituperio tarde diſcuntur, quàm iuuenes cũ laude celeritate mentis aliquando aſſequuntur. Erat ergo hac in parte, vt diximus, feliciſſimus, & cum primum veteranos milites largitione ſibi aſciuiſſet, & ſenatus partium factus eſſe videretur derepente, paulo poſt aliam inſtituit velificationẽ, & cum lepido vere facto lepido, ac cum Antonio contra Brutũ & Caſſium fœdus pepigit, vt his facilius oppreſſis, quos magna potentia auctos viderat, tandem etiam & Antoniũ ipſum vlciſceretur, qui pecuniã

in morte Cæsaris fraude ablatam ipsi restituere aperte recusabat. Ad singula quidem & omnia ista mirificis simulandi & dissimulandi artibus Augustus vtebatur. Non tam enim honorificum, quam interdum commodum affectus animi est comprimere, & vt maxime doleant aliqua prudenter dissimulare. Quod Augustus non modo scienter, sed satis etiam pro re & tempore tantis difficultatibus initio obrutus præstitit animose. Primum autem omnium mutuo consensu, pari militum numero conuentum est ad Bononiam, & ex æquo trium illorum Augusti, Antonii, & Lepidi constituta est dominatio, & in inimicorũ, quos quisq; habuisset, excidiũ conspiratũ. Res illa misera & miserabilis fuit. Nam vt Romã rursus Bononia ventum & proscriptorum tabula est proposita, tantum ciuium exarsit incendium, quantum potuit esse maximum, cum non alia proprii & alieni haberetur ratio, & quod tuũ inimicum, amicus qui esset alterius, nisi pro eo dedisses alium, non poteras neque debebas vindicasse.

Quo

Quo nimirum acciderat, vt aut veteri iracundia excitati, aut noua ſuſpicione adducti ſalutem amici inimici poſtponerent, & ſurſum ac deorſum omnia miſcerentur. Nā amici pro hoſtibus, ſocii dabantur pro perduellibus, & aut pares cum paribus, aut cum vno plures, aut cum pluribus pauciores quaſi venales eſſent, preciis & licitationibus inſtar pecudum factis permutabantur. Commune autem erat omnium bellum inferre potentioribus, non tam ob vetus aliquod conceptū in eos odium, quam ob perpetuam ſitim, & ſtudium alieno diteſcendi. Potentior enim quam inſidia ſemper eſt auaritia, rebus ad commune belli ciuilis incendium, vel paululum inclinatis. Quo veluti quodam in cœno, & Reipub: exterminio, omnes quidem, ſed omnium vehementiſſime Antonius, Lepidus minus, ad quam minime Auguſtus volutabatur. Omnes enim per ſe, natura, ambit dominatum, ſed in infamia publica ſubire ſubterfugit, quo ad poteſt, principatum. Iam quidem non ſolum Antonius ipſe, ſed eius etiam

coniunx

coniunx huius tam diræ excitatæ causâ crudelitatis, quæ sic: ac quanti & qualis eius Consulis & Imperatoris caput, ad se allatum, vt maxime præ aliis conspiceretur, in rostris poni imperauit, & linguā deniq; ipsius acu pupugit, vt quæ Philippicas in Antonium scripserat à morte etiam pungeretur. Postremo, cum nescio cuius caput sibi oblatum aspexisset; Hunc, inquit, ignorabam cum illusione respondit. Ita videlicet animi impotentia; potentia aucta, vel in optimum quemque impune perbachabatur. Verum vt hæc tantaque Romæ fuerint, vt vel innocentissimus quisq; pateretur, dabatur etiam venia aliquibus. At vnius serui exemplum est, memorabile semper; qui cum in speluncam quandam dominum suum inclusisset, cumq; nescio quis paulo ante indicasset, quod proscriptum occultare capitale habebatur, veste mutata, ingredientibus seruis obuiam egressus est; & interfici se tanquam Dominum vltro permisit, fide quippe in Dominum serui nihil est maius, & obsequio nihil dignius muneratu.

Nam

Nam si Herostratus, quod templum Dianæ succenderat, æternitati mandari se voluit, quanto laudabilior, qui pro hero mortem ipse oppetere minime dubitauit? Augustus certe vt & ipse se gesserat, & bene gerentẽ laudauerat, multis argumentis declarauit. Nam & Ciceronis libello, in nescio cuius manib. conspecto; Bonus, inquit, ciuis fuerat, libere dixit, & Romanũ Imperium semel partum, sartũ tectumq; perpetuo conseruauit. Domuit autem ille partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, domuit Aquitaniam & Pannoniam, domuit cum Illyrico omnem Dalmaciam, & cum Dacorum incursiones repressisset, cæsisque eorum Ducibus tribus, Germaniam vltra Albim semouisset, Galliam quoque compescuit, & magnum nominis sui terrorem per orbem terrarum vbique propagauit. Quo fiebat, vt bis ouans vrbem ingressus fuisse & ter currulis triumphasse memoretur. Graues interdum clades in Germania patiebatur etiam, vel nonnunquam: vnde illud etiã de eo ferebatur, quod capite ad murũ

allisο, aliquando dixerit: Varre, Varre, inquit, redde legiones. Pũgit quippe magnus magnum virum casus, & non nisi sui ipsius oblitus acceptarum calamitatum è vestigio fit obliuiosus. Disciplinam porro militarem seuerissime rexit, domi suos in officio tenuit, legatorũ licentiam inuisendarum sæpius coniugum à pristino vsu paulo arctius inhibuit, multos exauctorauit, milites loco cedentes, postquam decimati fuerant, hordea pauit, & nullum suppliciorum genus sontibus puniendis propter exemplum prætermisit. Sed pari quoque ratione & animaduersionis vt in malos seueritate, sic in bonos vsus est benignitate. M. Agrippã post naualem pugnam in Sicilia, qua victor euaserat, ceruleo vexillo donauit, & nihil in Duce belli, quam festinationem, magis repræhendit, illud in ore sæpius habens: Festina lente. Prælium etiam nullum committi voluit, in quo non maior spes emolumenti, quam metus apparuisset detrimenti. Tantæ item modestiæ fuerat, vt quæ sanciri legibus debuerant, in tabel-

la vulgo proponeret; libere ab omnibus qui vellent ventilanda, honores ac magistratus, & ante tempus & quosdam noui generis & appellationis non accepit, vt pote Tribuniciam potestatem, in qua tamen etiam ipsa per singula lustra Collegam sibi cooptauit. Romam pro maiestate summi Imperii, non satis, vt videbatur, exornatam, & frequentibus incendiis valde obnoxiam, ita excoluit, vt iure gloriari potuisse diceretur, marmoream vrbem Romanis se relinquere, quam latericiam accepisset. Ius dixit assidue, maxima non solum cum diligentia, verum etiam æquitate. Liberalitatem in omnes promiscue exercuit, spectaculorum frequentia & varietate alios vicit, & ad scenicas & gladiatorias operas ipsos etiam Equites Romanos adtribuit. Italiam vno de triginta Coloniarum numero deductarum frequentauit. Dictaturam magna vi offerente populo acceptare renuit. Domini appellationem vt maledictum exhorruit, quod verus cœli & terræ Dominus sub extremum eius Imperii nascebatur.

Iam cum Pater Patriæ per Valerium Meſſalam ſalutaretur, in hunc modum lacrymans reſpondit: Compos, inquit, votorum meorum factus, Patres conſcripti, quid habeo à Deo precari Opt. Max. quam vt hunc conſenſum iudiciumque de me veſtrum perpetuum eſſe patiatur? Ac breuiter, magnus & laudabilis Auguſtus in omni memoria extitit Imperator, quem facilius laudare, quam aliis fuerat æmulari, & qui vltra quintum & quinquageſimum annum, & poſt eum diutius nemo, paulo tamen minus Fridericus III. Auſtriacis imperauit.

AVGVSTVLI EX ITALICIS VLTIMI CÆſaris Vita.

POrtendebat Italico nomini atque ſemini manifeſtam cladem Momilli, porro vulgo Auguſtuli dicti Cæſaris appellatio, cum adhuc puer annitente patre militum ſtudiis Rauennæ fuerat pro

clamatus. Erat is Orestis cuiusdam Italiæ Regis, natione Gotti, filius; quem Nepos Romanorum Imperator factus, adolescentulum adhuc cum exercitu in Gallias miserat, & copiis militum cunctam Italiam denudauerat. Ad cuius rei nuncium, cum multi etiam domi ab eo defecissent, tum & externa vis præter expectationem accessit. Cuius ille rei causa in desperationem actus protinus mutato consilio in Dalmatiam nauigauit, Augustulus vero interim cum Vandalis, qui longe atq; late in Africa rerum potiebātur, fœdus percussit, & ita securum se fore omnino iudicauit. Sed dum ab Austro nihil sibi metuit, ab Aquilone est oppressus plane incautus, ocio quam negotio magis intentus: vt sole meridiano clarius appareat, in rebus consiliisquæ humanis sine Diuino numine atque nomine, nihil vnquam esse, nec fieri posse aliquid firmitatis. Vnum enim illud cœleste æternum fuerit, cæterum regnum in terris nullum futurum est diuturnum. Erant

Heruli & Turingi Attilæ crudelissimi illius Tyranni exercitum reliquiæ, qui cum Attilæ filii ab Ostrogotorum Regibus profligati circa Danubii ostia, qua parte Scythiam attingunt, aliquandiu quieuerant; nec per longum tempus vllum vel aliquod suæ exemplum virtutis ediderāt singulare. Sed tandem aliquando Odoacrem, vnum ex suis secuti, ex alto illo (vt dicam) somno euigilare fecerunt, ac vnā illam Italiam infestandam primum sibi proposuerunt. Solent enim gentes nationesq; exteræ, à quibus passæ fuerint vices calamitatum rependisse. Quod huic Momillo Augustulo dicto, & in eo Italico accidit Imperio, cui ille cum infeliciter puer præfuisset, & in despicatum quendam apud omnes incidisset, tandem hunc exitum quem dicemus tulit, & Roma Romanumq; Imperium in maximas angustias & difficultates postremo peruenit. Etenim ineunte statim vere, Odoacer cum maximis copiis domo egressus Danubium traiecit, & vsque in Noricum ipsum impune vbique lætus &

triumphans penetrauit. Cui tum iter facienti, Anachoritam quendam victoriam certam prædixisse, & pro villis pellibus, quibus amictus erat, opima spolia ferunt promisisse. Sed ad rem. Incertis interea temporis Orestes sedibus vagabatur, & tandem quidem postremo Ticinum iam venerat, cum Odoacrem in Italiam aduentare inaudiuerat, magnis copiis & conatibus omnia omnium vbique conuellentem. Excitatus eo nuncio, & in murorum quam militum præsidio maiorem fiduciam ponendam ratus, Placentiæ mœnibus se aliquandiu continuit, sed postremo tamen captus inspectante toto exercitu vita & Imperio est spoliatus. Momillus autem sub id tempus Rauennam, in qua electus fuerat, profugit, sed nec in ea ipsa acrius se initio paulo post segnius defendens diu admodum perdurauit. Victor interim Odoacer Romam peruenit; cuius populus aliarum vrbium direptione territus, Regem eum salutauit: at Augustulus vitæ suæ consulens, purpuram deposuit, & ne quid grauius in eum sta-

tueretur Imperio se abdicauit: Cuius saluti Odoacer quidē pepercit, sed nihilominus tanquam exulem in Campaniam ablegauit. Hunc exitum tulit patris & filii impotens ambitio, cum tanquam per somnum gubernacula tenuissent, & Roma à barbaris gentibus Anno à Christo nato post quadringentesimum quartum denuo occupata extitisset: Anno vero post quingentesimum, quo C. Augustus feliciori omine ac nomine, quam Augustulus fuerat appellatus. Quo eodem etiam tempore Britannia in Angliæ nomen versa desiisse dicitur appellari.

Comparatio.

AVgusti & Augustuli nomen, vt quidem diuersum longe à se fuerat, sic diuersa etiam imperantium initia & successus gubernaculorum protulerat euidenter. Puer quidem vterque potitus Imperio, sed longe dispari fuerat genio & ingenio. Ideo etiam secus Imperii admini-

ſtratio ceſſit Auguſto, quam Auguſtulo, quorum ille conſentiente Senatu & populo; hic acclamatus eſt Cæſar temerariæ multitudinis errore magis, quam iudicio, quod nunquam à ſapientibus tributum eſt vulgo, ſic vt ferenda quam laudanda ſemper quæ vulgo feciſſet potius ſit æſtimatum. Quid multa? vt Cæſarem Auguſtum magnifica maiorum merita, & propria extulerant facta, ſic in Auguſtulo Imperatoria inſignia extiterunt deturpata. Omnes enim homines, ſed maxime Reges addunt, vel diminuunt ſuæ ipſorum maieſtati. Diſcant interim educare ſcienter ſuos, & nolint parentes Rebuſpub. ignauos relinquere à morte rectores. Non neminem in publica adminiſtratione pœnituit ſui, & qui in altum euecti, poſtea fuerunt vero nihili, tandem traditi obliuioni. Quod in patre & filio Auguſtulo fuit videre, & vt leuiſſime dicam; Qui per acclamationem eum elegerant, tandem facile, vt fit, etiam deſeruere.

CONSTANTINI MAGNI, ET PRIMI Constantinopolitani Cæsaris Vita.

COnstans Constantis gestarum rerum & virtutis fama, passim & vbique per orbem terrarum peruulgata, tum & ipsius Constantini eius filii magna quædam expectatio, facile regnaturo auctoritatem & fauorem conciliarat popularem, vt prę tribus aliis eiusdem patris filiis tandem omnino solus Imperio patrito auitoque potiretur. Erant quippe Constantino, præter Constantinum ipsum ex Helena in Britannia susceptum, tres alii diuersorum nominum filii. Quibus omnibus Constantinum placuit prætulisse, haud sine quadam diuini numinis suggestione, cui aliquando ægrotanti Angelus apparuit, & vt Constantinum hæredem suum relinqueret, & nihil ea de re addubitaret facile persuasit. Multa enim ad persuadendum faciunt, sed vel imprimis diuinæ denunciatio voluntatis. Placuit ergo

Con-

Conſtantinum fratribus aliis citra controuerſiam præferri, & ad gubernacula tractanda præ cæteris diligentius erudiri. Quæ ipſa educatio non ſolum puerili literarum inſtitutione,ſed ipſa etiam ſcientia rei cõtinebatᷣ militaris. Etenim vt primum ex ephebis Cõſtantinus exceſſerat, traditus eſt Gallerio, qui tũ bellica laude ſua ætate maxime excellebat; Qui ſiue quod adoleſcentuli induſtriæ quodam modo inuideret,ſiue quod conceptum aliquod in Conſtantinum Patrem odium antiquitus haberet, Conſtantino aduerſari cœpit; & quomodo eum è medio tolleret,antequam ipſius luminibus obſtruxiſſet,tacitus ſecum ipſe cogitauit. Erat in inimicorum Gallierii exercitu pugnax quidam barbarus, quo cum Conſtantino manum conſerere,& cum illi feliciter id ſucceſsiſſet, poſtea etiam & leonem, qui in vicinia ibi fuerat, interficere imperauit. Feroces autem Principum iuuenum animi, etiam cum periculo nihil libenter refugiunt: & vltra ipſas vires,nominis conquirendi ergo, multa ſæpe ag-

grediuntur. Quod & Constantinus fecit, non modo alacriter, sed etiam gloriose, cum & Barbaro capto, & leone occiso passim & vbique celebraretur. Sed interim tamen à patre sene vocatus, ex exercitu illo discessit, & nihil prius aut antiquius quam morem gerere parentibus apud se iudicauit. Nec mora, & pater tandem obiit, relicto ab sua morte amplissimo filio patrimonio, quod Britanniæ Alpiumque & Galliæ finibus & possessione extendebatur. Sic vt vna illa Christiana tam amplo & virtutibus omnibus exaggerato Principi deesse videretur religio. Ab qua tamen ipsa non admodum Constantinus abhorrebat, sed vni illi Fausti coniugi suæ, quæ ipsi aduersa fuerat, maxime abblandiebatur. Nullum autem maius est virus, quam domestica adulatorum pestis, & in iis corporis alligati nexu diurni nocturnique consultores. Præfuerant tum temporis rebus Cæsares pariter tres, Constantinus hic noster, Licinius, & Maxentius, sed ita se ge-

rebat iste, vt Tyrannus quam Romanorum Imperator magis videretur, quod etiam causæ fuerat, vt dimissis in longinquas oras Roma legationibus, solus ad imperandum Constantinus vocaretur. Qui quidem nec sibi, neque suis defuit derepente. Ac non ita facile vocatus fuit, quàm nulla interposita mora simul cum ingenti exercitu Romam aduenit. Diuisis enim & nutantibus ciuium animis, aduentus sui celeritate semper suos expedierit fulciuisse. At enim intra vrbis mœnia diu se Maxentius continuit, & num rem prælio committere debuerat deliberauit. Tandem suorum motu & Sibilis excitus extra portam prodiit, & ad pontem Miluium signa cum potente aduersario conferre minime dubitauit. Apparuerat circa meridiem signum in cœlo, Constantino tanto quidem magis admirandũ, quanto Romanis literis per stellas expressa verba illa, IN HOC SIGNO VINCES, dilucidius spe-

cta-

ctabatur. Quibus Constantinus ad bene de tota re sperandum commotus, idem illud signum in suo vexillo pingi iussit, & intrepide ad conferenda signa properauit; nobiliq; relata victoria, tandem in arcu triumphali extare id quod adscribemus voluit, ad memoriã posteritatis sempiternam. S. P. Q. Romani, Cæsare Constantino Augusto, Qui instinctu Diuinitatis & animi magnitudine, vno eodemque tempore, tam de Tyranno, quã de omni ipsius factione Rempub. iustis vltus est armis. Verum post hos & eiusmodi Constantini successus, nondum adhuc in portu constiterant omnia, & Christiani populi, inuito licet, & prohibente Cæsare, multas clades & ærumnas vbique patiebantur. Restabat etiam qui in matrimonio eius sororẽ habuerat Licinius, & vnus alteri suspectus, ne dicam euaseratodiosus. Non obstat enim sanguinis nexus, quo minus appetatur principatus, vnde etiam ad apertum bellum inter Constantinum & Licinium est deuentum, eo quidem exitu, vt cum Licinius

pro-

profligatus, & male tractatus fuisset, Constantini soror & ipsius coniunx nihilominus pro eo se interponeret, & in gratiam Constantini eum ponere minime dubitaret: sed ægerrime omnium ferebat miles, homini perfido haberi fidem, & omnes è medio tollendum potius clamitabant. Quo euenit, vt paulo etiam post, nunc militibus deditus, nunc vero occisus vulgo diceretur. Constantino vero prospere succedebant omnia, & cum collatis signis Maxentium aggressus fuisset, armatum equitem exercitui ipsius signũ Crucis prætulisse, & duos item adolescentulos, apud Andrinopolim obuios hostes profligasse memorabant. Quibus omnibus ostensis, in eam Constantinus adducebatur sententiam, plane vt crederet numen sibi adesse Diuinitatis. Quo etiam colendo & adorando, haud ita difficilem & inexorabilem se præstabat. Cum vero aliquando lepra infectus fuisset, & Medicorum suasu puerorum sanguine liberari debuisset, Petrum & Paulum Apostolos in somniis vidit, & eorum

moni-

monitu Syluestrum Pontificem ad ſevo cari imperauit. In criptis ille latitabat miſer, & ad certiſsimam necem à Conſtantino ſe eſſe accitum forte ſuſpicabatur. Quem Conſtantinus conſpicatus, bono animo eſſe iubet, & num Petrus & Paulus Chriſtianorum eſſent Dii, ab eo percunctatur? Reſpondente Syluestro non Deos, ſed Apoſtolos Dei fuiſſe. Mox vt de Chriſtiana etiam religione à Syluestro edoceretur poſtulauit. Quod cum feciſſet ſacris etiam vndis ablutus, & à lepra Conſtantinus eſt liberatus. Quo etiam æquior Chriſtianis omnibus eſſe cœpit, & ne eorum ſanguis à quoquam effunderetur, ſeueriſsime interdixit. Edebat interim Syluester miracula, & Draconem ad Capitolii fundamenta latitantem, Diuino Nomine Numineque inuocato, extinxit. Quo ipſo miraculo Cæſar magis etiam confirmabatur, & in Diuino cultu propagando aſsidue occupabatur. Id perfidi Iudæi conſpicati, quomodo eum à propoſito auertere potuiſſent, nullum non

mouere lapidem, & matrem ipsius, quæ magna ipsius pollebat gratia, cœperunt sollicitare. Est semper improborum molliendis rebus, quam bonorum maior contentio. Quo etiam facilius dubii mortalium animi falsis persuasionibus, paruisque temporum inclinationibus, facillime commutantur. Annuente ergo Cæsare, & matre pro Iudæis se interponente, doctis & cõsideratis vtrinque viris res discutienda datur. Cui etiam disputationi ipse Syluester præerat Pontifex, & iam eo rem deduxerat, vt victoria penes eum stare haud dubie videretur, cum subito Hebræi inuidia & maleuolentia ducti, Zambrem quendam Magum in medium adduxerunt, qui nescio quibus verbis boui in aurem insusurratis eum postrauit. Quo Dæmonis astu Syluester animaduerso: Quid si vero ego, inquit, faciam eum reuiuiscere. Omnibus qui astabant religionem eius approbaturos se pollicentibus, vt mortuus, sic rursus bos factus est viuus, cum singulari omnium stupore & admi-

ratione. Quo compuncti Hebræi, fidem Christi veram esse professi sunt, & à Syluestro se baptizari minime recusarunt. Restabat sola Cōstātini mater, cuius corpus Venetias ex Græcia deportatum est. Helena, quæ idolorum spreto cultu, religione Christiana imbueretur. Quæ & ipsa etiam postremo Christiana effecta est, & Diuinum cultum non solum libenter, sed etiam procurauit vbique studiose Nam eo quod Christo nomen dederat non contenta, voluit etiam sacra adire loca, & vsque in Palestinam pedibus Roma illud iter emetiri. Cui Syluester Pontifex comitem se præbuit, & omnia Christi hęreditatis loca, non tam passibus, quā planctibus cum ea peragrauit. Vnde etiam & crucem illam, in qua Seruator noster pependerat, Helena Constantini mater felicissime adinuenit. Quæ res tam rara & admirabilis fuerat, vt postea per omnia loca templaq; sacra certatim diuideretur, & Constantinus Magnus primus Imperatorum omnium, quæ res initio despicabilis fuerat, diademate Impera-

torio

torio cruce ſancta, & precioſiſſimis quibusq; lapidibus diſtincto vteretur. Quæ dum ita fierent, & cum tam mater, quam filius, religionem Catholicam propagarent; Conſtantinus duos ſuſcepit ex Fauſta coniuge Conſtantinum & Conſtantem filios, & Helenam, quæ Iuliano Imperatori poſtea nupſerat, filiam tertiam. Quanquam ex alia item vxore Criſpum appellatum filium etiam habuerat, qui vt illegitimus fuiſſet, bello certe cum Licinio geſto, egregiam patri operã nauauiſſe memoratur. Solent enim legitimi, iure ſuo patrimonioque freti, magis ocium quam negotium amplecti, & ab iis tandẽ qui ab hæreditate excluduntur ſubinde virtute ſuperari. Quem inſano quodam amore deperiebat nouerca aliquando, & quoniam ad concubitum pellicere non poterat, quaſi eius pudicitiam tentaſſet apud patrem inſimulauit. Sed Criſpus extra culpam depræhenſus, cauſa fuit, vt omnis, quod aiunt, faba in nouercam cuderetur. Quæ feruenti balneo incluſa adhibitis candentibus laminis eſt excæ-

;ata. Vindex enim adulterii est Deus, & testis ipsius veritatis. Per id tempus Vandali & Gotti inuadentes Traciam, multas & magnas Romani Imperii Prouincias crudelissime peruastarunt. Quibus cum Constantinus, collatis signis pugnans, nobilissimum triumphum in patriam reportauit. Vt vero rerum bello & pace ab eo gestarum perennis esset memoria, Vrbem de suo nomine condere instituit, in qua etiam ipsa re Diuinum Numen sibi consiliisque suis adesse non obscure animaduertit. Nam cum primum in Sardica, deinde in Sygeo, Troadis promontorio, id facere pertentasset, aquilæ surreptis fabrorum funiculis, fretoque illo superato, ad Bysantium eos posuisse memorantur. Quod cum nescio cuius prodigii vim habere videretur, Constantinus vrbem condere, & de suo nomine Constantinopolim, quæ antea Bysantium dicebatur, non dubitauit appellare. Qua re ad dimidium mensis Maii absoluta natilitia et-

iam ſua idem Conſtantinus celebrare ſubito voluit, & omne magnificentiæ & benignitatis ſuæ in pauperes genus declarauit. Magnificis enim ædificiis extruendis, & egenis large fouendis, reges & regna decorantur. Quibus rebus ad eum modum compoſitis, & Patriarchatus dignitate Conſtantinopoli erecta, principatu tamen Romanæ ſedi Eccleſiæ relicto; pacata erat Græcia, cum ſubito dæmonis aſtu Arrius Alexandrinæ Eccleſiæ ſacerdos excitatus cõtra omnem omnium Orthodoxorum ſententiam, vnigenæ Dei Patris Filii ipſi non eſſe coæternum, neque natura ſimilem aſſerere voluit, & peſtiferum illum errorem ſuum alios docere pertinaciter & defendere non dubitauit. Qua re Conſtantinus grauiter permotus, Nicenum Concilium coegit, & trecentis amplius conuocatis Patribus, inter quos & Athanaſius ille Symboli Auctor fuerat, & Imperator ipſe Concilio præfuerat, illud Arrii dogma diſcutiendum permiſit.

Varia & multiplex fuisse memoratur ea contentio, in qua tamen deterior Arrii habita est opinio. Quem Concilium hæreticum esse ostendit, & à communione Ecclesiæ segregauit. In quo boni etiam quidam iure, qui errore seculi lapsi & Arrium secuti fuerunt, culpam deprecati sunt, & simul cum Paphnucio Cæsareæ præfecto, multis nominibus & sanctimonia vitæ viro clarissimo, veniam obtinuerunt. Non enim lapsus qui omnibus communis, sed Hæreticum facit perseuerantia obstinationis. Quæ nihilominus erroris contagio serpebat quotidie latius, & Cæsarem vehementer angebat & excruciabat. Etenim paulo post, & contra Macedonium aliud coegit Conciliū, in quo subtilissimus Zophista quidam suarum partium & artium non nemine efficere sciebat, & ex albo (quod aiunt) nigrum reddere quam maxime contendebat. Huic Spyridion se opposuit Sacerdos Catholicus, nec tam subtilitatis, quam veritatis studiosus. Hic ergo, quanquam vel initio ab hoc certamine multi eum de

hor-

hortarentur, ſic Zophiſtæ illi locutus eſt: Audi, inquit, & manda memoriæ Zophiſta diuinæ veritatis decreta. Vnus eſt Deus Opt. Max. qui cœlum & terram condidit. Huius verbum eius filium eſſe ſcimus, ideoque cum Patre & Spiritu reuerenter eum adoramus. Credis tu hæc Philoſophe? obmutuerat ille, & quid reſpõdiſſet apud ſe non inueniebat. Tandem ſemel & iterum interrogatus, credere ſe reſpondit. Tum Spyridion, ſequere igitur me, & Theſſeram fidei ſortiturus tuæ, in Eccleſiam ito. Quod & fecit ſane, non inuitus publiceque faſſus eſt, quod quamdiu agebatur verbis, res rebus, & argumenta argumentis cum aliis ſe oppoſuiſſe. Verum cum incredibilis quædam veritatis vis ex illius ſenis ore profecta fuiſſet, ſubſcribere ipſius ſententiæ ſe neceſſe habuiſſe. Ad quam etiam amplectendam alios monuit & Paphnucius ille quem memorauimus vnus, patribus cunctis vt ſacerdotes vxores ducerent conſentientibus, aperte reclamauit. Melius enim veritatis aſſertorem eſſe ſolum

quam multis applaudendo inquinatum. Nam & illi quidem, qui Paphnucio restiterant, vniuersi rursus eius sententiæ assensi sunt, & vt aliquandiu restitissent, tandem etiam subscripserunt. Quæ res quoniam Constantino ipsi Cæsari vel imprimis probabatur, ille quidem dexteram vnicuique patrum non inuitus porrexit, sed vnum Paphnutium, qui seditione quadam tranquillanda oculum amiserat, exosculari non dubitauit. Tanta nempe bonorum mansuetudo est Principum, vt qui antecellunt omnes dignitate, quod pares vel infimis humanitate esse videantur. De quo eodem Constantino illud quoque memoriæ est proditum, quod libellos, quibus Sacerdotum crimina notabantur, ad se allatos exussserit, & si peccantem Sacerdotem vidisset, purpura sua contegere eum se velle affirmauerit. Ita nimirum dissoluto illo conuentu Constantinopolim denuo est profectus, & Patres vt cum eo irent, ac quæ ibi ædificia extruxisset viderent, beni-

gne

gne inuitauit. Magna quippe conditores vrbium priuantur voluptate, si posteaquam magnifica quæque condiderint, vel adhuc viui non habuerint operum suorum spectatores. Nemo interim dubitat, ædem S. Zophiæ, id est, Sapientiæ, ædem sanctæ Irenæ, id est, Pacis, & beatorum Apostolorum in admirationem multos traxisse, & religionem Catholicam pientissimi exemplum Cæsaris in varias orbis terrarum partes & regiones intulisse. Nam primum quidem Galli & Celtæ, mox interiores Indi Iberiique & Armeni, & denique infiniti alii, ad veri & vnius Dei religionem conuersi sunt, & prophano idolorum cultui nuncium remiserunt. Sed vt omnium bonarum rerum comes est inuidia; sic & optimo hac in parte æmuli sui non defuerunt Cæsari, qui ipsum temere innouare res, & dogmata, quæ nullis firmis niterentur rationibus, obstinate tueri ac defendere calumniarentur. Quos ille cum suo Patriarcha Alexandro,

non tam quidem satis erudito quam sancto, disputare voluit, & omnem illam garrulam Philosophorum turbam, ope diuina fretus, egregie confutauit. Vbi nimirũ res prorsus acciderat admirabilis, cum Alexander, Græcorum eloquentissimo silentium imperauerat, & ne hiscere posset diuinitus impetrarat. Quod nemini mirum videri debet, cum multi pro re & tempore elumbes disertissimi sint Oratores, & dicaces sæpe infantes. Per id etiam tempus vrbes Campaniæ tredecim graui terræ motu concussæ, & magni serpentum acerui inter se conflixisse, & vehementem fœtorem ex mortuis cadaueribus reliquisse memorantur. Quæ res & pestilentem quandam luem importasse, & dissidium Græcorum inter se implacabile prenunciasse memoratur. Nam non ita facile Constantinus Arrium ab exilio reuocauit, quam denuo ille nouas turbas dedit, & incredibilem dissensionem inter Græcos excitauit. Hic quippe Concilii Niceni decreto pariturum se simulans, & iureiurando interposito

Cæſari id promittens, ita eum circumſcripſerat, vt vel Athanaſiũ ipſum, cui tot tantaque antea tribuerat, ad reſtituendum patriæ Arrium ſollicitauerit. Cui rei quoniam Athanaſius inprimis erat contrarius, nec perfido & ſacrilego homini fidem habendam eſſe teſtabatur, & ipſe demum à Cæſare in exilium actus, & infinitas iniurias ac pericula ſubire eſt coactus. Eo namque vel optimorum Principum impellit animos credulitas, vt à malis inſtigati bonis etiam aduerſentur. Ad eum modum fugiente in Gallias Athanaſio, virus illud Arrianæ hæreſis in Græcia recruduit, & Athanaſius ſi quis vnquam mortalium infinitas calamitates diuinitus ſibi impoſitas patienter tolerauit. Annum iam non quidem ætatis, ſed Imperii vigeſimum agebat Imperator, cum ſimul etiam Sapor Rex Perſiæ calumniis in Chriſtianos motus, eorum octodecim millia ſuſtuliſſe memoratur. Qua re offenſus vehementiſſime Cæſar, minaces ad eum dederat literas, bellum ſi Chriſtianos affligeret, ſe illi moturum

contestatus. Sed cum & Persa de instituta crudelitate remittere, & Constantinum alia atque alia negotia vrgere inciperent, contra Gottos & Sauromatas suscepta est expeditio, in qua insigni victoria potitius esse, & de nomine matris Hellenopolim condidisse Constantinus memoratur. Postremo etiam Arrii quauis victoria præstantior subsecutus est interitus. Qui cum dogma illud suum impium magis defenderet & propagaret, nec quicquam Alexander Patriarcha apud Cæsarem contra eum proficeret, totus quidem ad Deum conuersus, id tandem impetrauit, vt aperte ab eo puniretur. Nam non tam cito dies illuxerat illa, qua Arrius, cum Orthodoxis disputaturus, Palatio Cæsaris appropinquabat, cum subito dolore ventris correptus, in partem secedens eiectis intestinis expirauit. Dignus qui intestina eiecisset, qui intestina dissidia serere, & os suum in cœlum ponere, & interiora maiestatis voluit penetrare. A cuius morte

Græcia reſpiraſse, & ſuum Cæſarem in Perſidem diſcedentem dicitur comitata fuiſſe, non ſolum alacriter, verum etiam animoſe. Qui quidem delatus triremibus, quæ nunc dicitur Pythia, Seropolim peruenerat, cum initio felices ſucceſſus habuiſse, ſed Paulo poſt morte præuentus diem Imperiumque ſuum ſcribitur clauſiſſe. Princeps vita dignus quam longiſſima, annos tamen non plures quam ſexaginta & quinque fuerat natus, & Imperio præfuit vnum & triginta. Habuit tres filios, Conſtantem, Conſtantium, & Conſtantinum, ſtatura mediocri, humeris elatis, ceruice craſsa, vnde & ceruicoſus fuerat dictus; capillo rubro, non denſo, neque cripſo, barba rara, & faciem paucis locis contingente, naſo aliquantulum incuruo, oculis leoninis, vultu ſereno & gratioſo ſpectabatur. Literas porro mediocres, armorum non mediocrem experientiam, inde ab ineunte ætate comparatam, naturalem dicendi facundiam, liberalitatem

habu-

habuit maximam, cum adeo etiam crebro diceret: Romano & habenda & inſumenda multa eſſe Imperatori. Et illud quoq; alterum frequentibus vſurparat ſermonibus, Reipub. gratia ne membris quidem ſuis parcere aliquem debere, & cum putida eſſent abſcindi oportere, vt ex aduerſus digni eſſent, non ſolum venia, ſed & beneficentia, qui ab inſania ad ſanitatem rediiſſent. Quod ipſe non ſolum voce & oratione, ſed expreſſit etiã ipſa re atq; veritate. Nam reſtitutos ſanitati non ſolum libenter vidit, ſed propter etiam exemplum præmiis beneficiiſquæ cumulauit. Codices ſacros auro & precioſiſſimis lapidibus ornauit: Supellectilem Eccleſiaſticam in immenſum auxit: & omnia ad Chriſti gloriam & honorem accumulauit. Qui Iudæorum more celebrabant Paſcha, Oſii Epiſcopi Cordubenſis opera & auctoritate cohibuit: Iudæos vero ipſos contumaces graui ære vbique mulctauit, & templum quod aliquoties reædificare Hieroſolymis cœperant prohibuit: in bonos largus & cle-

mens,

mens, ſed & ſontes quoque impunitos perpetuo non dimiſit. Multa & magna tota vita præclare geſſit, quæ ſempiterna memoria & gloria non indigna extiterunt. Eius mortem crinita quædam ſtella, quæ permultos dies clariſſima fulſit, prænunciauit: quam à morte Conſtantini ſubſecuta eſt bellorum tempeſtas grauis, & ipſius corpus in æde Apoſtolorum tumulatum. Hic primus Imperatorum Sylueſtro Pont. Max. Romam attribuit, quod indignum ſibi præ Chriſti vicario eam inhabitare videretur. Cuius etiam frenum equi tenuit, & omnes obſequentiſſimæ voluntatis ſignificationes declarauit.

CONSTANTINI VLTIMI CONSTANTINOpolitani Cæſaris Vita.

ADuenerat expiandi ſceleris tempus, & futuri interitus ac leuitatis comes & animi quidam tumor ac obſtinatio Græcorum ingenia occupauerat: cum

nobile illud Orientis Conſtantinopoleos imperium, à Conſtantino olim Magno conditum, ſub Conſtantino altero eiuſdem nominis Principe, ad feras & barbaras gentes impiæque Machometanæ ſectæ cultores eſt tranſlatum. Quorum quidem vterque, plurimis annorum centenis interpoſitis, Helena matre & genitrice editus, diſparibus moribus & rerum geſtarum fama, vitam cum imperio terminauit. Iam vero ante hunc Conſtantinum vltimum Conſtantinopolitanum Cæſarem Dragazem, quod ferocem ob quoſdam in Turcas initio ſucceſſus Græce ſonabat, nuncupatum, eius frater Ioannes Paleologus rerum potiebatur, qui ab Eugenio eius nominis quarto Pont. Maxim. pro Florentino Concilio, ad ſarciendam Eccleſiæ concordiam ſumptibus & triremibus ex Græcia ſuppeditatis euocatus, quantum quidem in eo fuerat impenſiſſime laborauit. Verum cum non ita multo poſt diem ſuum Ioannes obiiſſet, hic alter in

Impe-

Imperio ipſi ſucceſſit: qui vndis ſacris abluendus (quod alias etiam quendam alium Cæſarem feciſſe ferunt) vt illa ſacra loca turpiter fœdaſſe, ſic & poſtea nullum boni Principis ſpecimen aut exemplum reliquiſſe memoratur. Hic à Marco Epheſino quodam, Græcorum tum doctiſſimo perſuaſus, ea, quæ in Concilio Florentino ſancita fuerant, & quæ Pont.Max.Patribusque promiſerat, obſeruare noluit, & adeo etiam infinitos alios à religione Catholica ſuo exemplo & interdictis auocauit. Etenim non tam facto quam ipſo etiam mali Principes peccant exemplo facile propoſito ad imitandum. Qua de re cum idem Conſtantinus Dragaſſes Roma ad ſe miſſas plures habuiſſet legationes, tantum quidem abfuerat, vt eo commoueretur, vt adeo de ſe potentiaque ſua multa ſublatius fari, & Pontifi. Maxim. auctoritatem aſpernari videretur. Cum vero de potentia & molitionibus Turcæ contra ſe aliquid inaudiuiſſet; nihil ſe metuere,

nec Principum occidentalium ope indigere; imo quæ maiores ipsius ad barbaros amisissent, breui se recuperaturum gloriose profitebatur. Sedebat tum in cathedra Petri Nicolaus, hoc nomine quintus Pont. Max. & cum literis tum etiam amplissimis dimissis in Græciam legationibus, Cæsarem officii admonere minime dubitabat. Ac literarum quidem ea verba fuerant: Omnes, inquit, gentes & nationes, quod pie semel sancitum est, receperunt, & obseruarunt semper, vni illi sunt & fuerunt Græci, qui & Ecclesiæ, & ipsi sibi perpetuo aduersantur: sed errant, si Ecclesiam Romanam errare & ipsum Pontificem delirare arbitrantur. Fert Ecclesia diu quamplurima patienter: in summum illum sacerdotem defixos habens oculos, qui sterilem illam ficum vsq; ad annum tertium seruari iussit, & cum nullum ederet fructum, agricolæ tandem excindendam permisit. Annus, quo hæc à Pontifice scribebantur, erat supra Millesimum quartus & quinquagesimus. Quo vero Constantinopolis capta, annus su-

pra millesimum quinquagesimum quartus numerabatur, vt vera illa ad ficum, quæ in triennium asseruabatur, Constantinopolitani interitus fuerit allusio, quam Pontif. Maxi. fatidico spiritu ob obstinationem rebellionemque contra se Græcorum videbatur prædixisse. Semper enim prudentum hominum magni facienda sunt dicta, sed maxime sedis Apostolicæ interdicta. Quin & memorabile est, quod Gennadius tum Patriarcha Constantinopolitanus vidisse se testificatur, obortam videlicet inter Legatũ Pontificis, & Barlaam hostem Catholicorum acerrimam controuersiam fuisse. Cui post multos vltro citroque allatos sermones illud responsi à Legato est datum: Possem ego, inquit, omnibus vestris istis obiectionibus satis superque respondere. Sed breuiter dicam: Pontifex Max. Dei in terris vicarius admonet vos eius, cuius obliti estis fidei vestræque firmitatis, si eum audieritis, bona terre comedetis, sin secus, à Turca breui exterminabimini. His dictis & puluere è pedibus excusso,

abiit: & non ita multo poſt primum quidē inteſtinis diſſidiis, poſtea Turcica potentia labefactatum Imperium illud in Turcicam peruenit ſeruitutem. Quod quomodo acciderit, paulo altius hiſtoriam ordiemur. Primum quidem Ioanne Græcorum mortuo Cæſare, Demetrius eius frater Imperium Græciæ occupauit. Sed à matre & populo præpeditus, Conſtantino tandem ceſſit; ea lege & conditione, vt Peloponeſum inter ſe æqua partitione ſortirentur. Id quidem Conſtantinus haud ita inuitus fecerat, & ea pacta ac concordiam aliquandiu obſeruarat. Verum vt inter fratres concordia rara; & minime ſolita eſt fieri diuturna; minor natu Thomas Conſtantini frater non ſine maioris natu fratris, vt credebatur, inſtinctu, vrbes Peloponeſiacas ad defectionem interim ſollicitauerat, & quaſi in apertum bellum res illa ita eruperat, vt Barbarorū auxilia cōtra ipſoſmet ſuos euocare cogeretur. Quæ res quidem effecit, vt vnus alteri Paleologus ſuperior fieret, ſed omnes tan-

dem

dem (vt fit) Turca illâ Prouinciâ spoliaret. Iam quippe Turcæ vicinorum exploratis viribus, simul & amœnitate vbertaque Prouinciæ capti, in ea remanserunt, & nihil quod Paleologi fidē sibi non ab iis seruatam vbique queritabant iurauerunt. Maior enim propriorum quam alienorum maxime à barbaris ratio habetur commodorum. Erat per hos dies Amurates Turcarum Dominus forte extinctus, & in eius locum ferocissimus ille ambitiosissimusque pariter Machometes subrogatus. Qui interfecto vnico suo fratre, non solum ad paternum principatum possidendum, sed ad Græciæ quoque Imperium occupandum, magna ambitione quotidie incendebatur. Habebat is antiquitus fœdus cum eodem Constantinopolitano Cæsare, & per speciem amicitiæ maritimas Asiæ oras tenere Paleologos patiebatur. Sed semper teneræ, barbarorum autem tenerrimæ in fœderibus sunt voluntates. Is autem perillustri aliqua victoria nomen suum nobilitare, & initia

Imperii auspicari maxime nitebatur. Quod etiam peccatis Græcorum & discordia exigente, factu non incredibile Turcæ videbatur. Qui ipse etiam tandem Machometes duo Imperia, duodecim regna, & viginti Prouincias auitæ & patritæ adiecerat hæreditati. Et omnium quidem primum inuasurus Græciam, Lincopiam iuxta Propontidem in Bosphoro ædificare cepit, & mox in Bysantii regionem magnum impetum facere, & Græci Cæsaris fratres subiugare Turcano suo purpurato imperauit. Erat alioqui illa ipsa res haud ita factu facilis. Omnes enim molitiones sunt ancipites, sed bellorum maxime, quæ communi Marte & dubio euentu terminantur. Vna igitur illa Neopolitana vrbe & Sindonopole obsidione irrito conatu aliquandiu pertentata, ad suum illum principem Machometem purpuratus rediit. Qui eo magis etiam clade suorum exacerbatus excidium vniuersæ Greciæ minari cepit, & verbis ipsa facta etiam adiecit. Non erant adhuc in magno vsu maiores bombardæ in Turcia:

has Machometes primus fieri fecit: non erant classes; ad has apparandas opifices & classiarios per totum terrarum orbem disquisiuit, adeo vt Constantinopolim oppugnaturus, classis eius ducentis nauibus & triginta constaret triremibus; vltra minora nauigia alia, quæ res portenti instar tum fere videbatur. Omnia enim bellici sumptus sunt non modica principia, sed in primis classium atq; maritimi apparatus, qui longe maiores etiã vires artificiumque requirunt. Prius vero quam tantæ vrbis obsidionem aggrederetur, Satrapam præmisit Europę ducem, qui vniuersam illam circumquaque regionem, territoria, oppidaq; peruastaret. Magnis enim oppugnandis vrbibus, omnia quæ exercitum manent pericula & impedimenta expedit prius amouere. Ad cuius aduentantis celerem & terribilem famã catenas ferreas ab vrbe quæ ex aduerso fuerat in ipsum murũ Constantinopolitani, sui Cæsaris iussu, circa arcem extenderunt. Naues item plures vt classem Turcicam excluderent

aditu intra ipſas catenas collocarunt; ſic vt non male omnia prouiſa viderentur. Nam de vrbis quidem mœniis fere omnes parum ſibi pollicebantur, & eandem defendendæ vrbis rationem quam contra Turcas etiã alias ineundam ſibi arbitrabantur, vt videlicet in exteriori vrbis parte, quæ foſſa munita erat, hoſtib. reſiſteretur. Magnæ enim vrbes non tam ipſis mœnib. etiam fortioribus, quã commeatu & defenſoribus, ab interitu vindicantur. Sed his ſimilibusq; omnibus Græcorum ſtudiis atq; conſiliis apud ſe deſpectis, & cõtrariis machinis ad oppugnationem adhibitis, Grçcorum animũ & vires maximopere Turca infringebat. Incluſus enim belli dux cauea, non æque quam libera miles gregarius in arca valuerit. Erant in multis duę Turcicę bombardę inſignis magnitudinis, quarum vnam in Cçſaris palatium, in portam Romanam alteram dirigere ſtatim habuit apud ſe conſtitutum. Quo fiebat vt exploſæ magnũ incuterent cunctis terrorem, & damna accepta vtriusq; ſexus excitarẽt lamentationem.

tionem. Nuſquam enim fletu & lamentis celerius cuncta complentur, quam cum vrbes ſimilia pati non aſsuetæ oppugnantur. Adde quod vimeneis pluteis conſtructis intrepide ſubibant murum Turcæ, & in Græcos dies noctesque, quo illos defatigaſſent, & ad deditionem adegiſſent, perpetuo graſſabantur. Fodiebant denique cuniculos, quo ſubditis ignibus vrbis ædificia corruiſſent, & quatuor erexerant turres, quo exeuntes & ingredi volentes, tam homines, quam iumenta, infeſtabant. Poſtremo ne quid intentatum reliquiſſent, maritimam quoque oppugnationem inſtituerunt Conſtantinopolis, in ſuperioreq; parte ipſius vrbis ſeptuaginta naues, vltra triremes, per montem transportarunt. Ea quidem arte ac celeritate, vt Græci, qui ipſorum conatui obſtare nitebantur, circumquaque caderent, & nihil Turcarum audaciam impedirent. Nam hoc eorum aſtu & molitione Byſantini intellecta, & ipſi ſuas naues repleuerant militibus, hoſtium interitum quoquo modo apparantes.

Quod vt Machometes animaduertit, bombardas ſuas maiores in Grçcorũ naues explodere iuſsit, & aliquas ex eis prorſus ſubmerſit, adeo vt qui ex naufragio euaſiſsẽt, in hoſtium peruenirent poteſtatem. Quos inſequenti die ad portas vrbis adductos Tyrannus interfici crudeliſsime iuſsit, & omnẽ in captiuos immanitatem exercere non dubitauit. Quæ res effecit, vt inter eum & Græcos perpetua crudelitatis fieret viciſſitudo. Sed ſemper tamen in Tyrannide peior obſeſsi, quam conditio eſt obſidentis. Iam quippe delatis ex peruicatia in portum nauibus, nemine Græcorum amplius reſiſtente, Tyrannus pontem ex doliis extruere fecit, & ad ipſa vrbis mœnia ipſum applicauit. Quo grauior etiam cœpta haberi Conſtantinopolis eſt oppugnatio, & interim etiam minuebatur defenſorum tam numerus quã animus, prç vrbis ambitu maximo, prçſentia ipſius Turcici Cçſaris, alacritate hoſtium, & fatali quadam Grçcorũ cæcitate & deſperatione. Quos enim Deus Opt. Max. punire iam debet,

iis viros ſimul & vires eripit, & omnia è manibus effluunt perituris. Et quidem iā quadraginta diebus durauerat obſidio, & ſancti Spiritus, quæ Pentecoſtes dicimus, appropinquabant feſta, in quibus Græcis vetera illa & ſacrilega dicta in Spiritū Sanctum petulanter iacta erant pianda. Acciderat pręterea caſus plane ſtupendus. Bombarda omnium maxima, qua hoſtes irruptionem facientes potiſſimum repellebantur, non ſine ſuſpitione fraudis, cum exploderetur, è veſtigio diſſiluit. Quæ res cum Græcorum animos ad iracundiam concitaſſet, parum abfuit quo minus ſupplicium de bombardario ſumeretur. Sed re maturius conſiderata, parſum tandem illi eſt, & Græcorum animus eo magis accenſus ad reſiſtendum. Multi enim qui iā de ſalute deſperauerint, eam vt tueantur acrius, nouo aliquo caſu ſæpius denuo inflam̄antur. Accedebat q; vno illo eodemq; quo hæc fiebant tēpore, duæ naues, Græcorū vna, Genuen. altera in portū appulerant. Quę com̄eatu & rebus neceſſariis plene obſeſſorum animos

quodammodo recrearunt. Has cum velis pansis in portum inuehi Tyrannus vidisset, intercipere iussit: sed irrito conatu, quippe quę non nisi Nauarchum amiserant vnum, id tentauit. Quo etiam vehementius denuo experiri fortunam idem ille Machometes voluit, & totis castris ignes excitari, & ad irruptionem denuo faciendam suos se apparare imperauit. Sed ne quid fortead animũ suum, in speciem misericordem, qui dirus & inexorabilis fuerat, omnibus testatum relinquendum obmisisse videretur, misit Scenderim, qui Sindonem regebat, magnæ cuiusdam expectationis filium, qui eos ad deditionem blandioribus verbis fuisset exhortatus. Quod tamẽ ipsum non alicuius clementię causa, quam vrbis ipsius & defensorũ ac fossarum explorandarũ fiebat gratia. Gręci ergo etiam exhortationem illam parui apud se fecerũt, & suos denuo Legatos ad Machometem submiserunt. Obscurissimi nominis illi legati fuerant, refugientibus id muneris cunctis, ob tyranni metum immanitatẽq; singularem.

Ferunt nec admiſſos quidem in conſpe-ctum principis legatos fuiſſe,tantũ illud reſponſum à purpuratis accepiſſe. Viderent Greci quid & quo cum rem haberẽt, mortẽ actutum futuram, & obſtinationẽ aliquorum funeſtum exitũ vniuerſis allaturam. Darent potius annuatim centena aureorũ victori millia; ſi nollent, vrbe excederent, & ſua quo vellent aſportarent. Plena erat anxietatis ea deliberatio, & quidam in deſperationem acti aurum & argentum Cæſari Conſtantino ad pedes, vt eos defendiſſet,proiiciebant. Sic nimirum ſemper inutilis eſt cunctatio, & rebus cum potueris expedierit tẽpeſtiue prouidiſſe. Tandem quidem omnibus in vnam euntibus ſententiam, extrema experiri pericula, & pro Chriſto atq; patria mori placuit. Quæ res vt ad Machometis peruolauit aures, ad ſuos ſolus conuertit ſe animandos, ampliſſima prẹmia ſtrenuis, deſidibus extrema ſupplicia pollicet᷑. Acclamãt cũ gaudio omnes, & nõ modo ſanguinẽ,ſed vitã pro Machomete ſe profuſuros teſtificãtur. Nec mora,& totis Turcarũ

caſtris diſcurrunt ſacrificuli, maiorum commemorant facinora, Machometis ſectæ auctoris ſanctitatem prædicant, & quæ ſuis plauſibilia forte crediderāt, plenis buccis confitentur. Grata erat Turcis, at Gręcis luctuoſa ea ipſa enumeratio, quę ignibus vbique collucentibus, funeſta & intempeſta nocte perpetuo exaudiebatur. Suſpicabantur id quod & accidit Gręci, non vno aut eodem, ſed pluribus ex locis impetum in eos Turcas facturos, & extremo conatu edito, ſi res male ipſis ceſſiſſet, oppugnationem deſerturos. Adſunt igitur vniuerſi animis, & in quodam propugnaculo in quod maximam hoſtiū vim, & impreſſionem contra ſe verebantur, Longum Genuen. rei militaris haud ita pręficiunt imperitum. Cui etiam armatos milites plures ad cuſtodiam corporis aſtare patiuntur. Suſceperat ille defendendi propugnaculi non inuitus prouinciam, & fortiſſimus generoſiſſimusq; quiſq; Gręcorum animoſe eum eſt comitatus. Aderant eo tempore pręter ipſos Gręcos in vrbis illius expugnatione

clariſ-

clarissimi nominis principes, & inter alios Sarmatiæ etiam quidam Isidorus S.R.E. Præsbyter Cardinalis, à Pont. Max. Constantinopolim legatus tum missus, cum albescente cœlo, mox tuba signum pugnę à Turca datur, & si vnquam alias magno impetu & furore vtrinque concertatur. Pugnare Genuen. cum suis contra Turcas intrepidę initio cœperat, cum subito maioris bombardæ globo, in manu dextra graui accepto vulnere, stationem deserere necesse habuit, & vt ad rem fortiter gerendam dux & auctor fuerat, sic non neminem ad fugiendum excitauit. Debent enim bellorum duces post principia aliquando stare, sed meminerint eorum præsentia vel abitu in hanc vel in illam partem vulgum facile inclinare. Inclamabat ipse Cæsar suos perpetuo, vt ad stationem redire, & hostes instantes repellere minime dubitarent, vnam illam salutem, nullam sperare salutem identidem profitendo. Sed facilius impetum torrentis, quam gradum ex prælio militis sistere est fugientis. Ad extremum igitur

ad Cantacuſenum & nobiliores alios conuerſus Cęſar: Eamus, inquit, & ſi aliter fieri non poteſt, pro patria moriamur. Nec ita multo poſt Cantacuſenus hoſtium telis oppreſſus miſerabiliter cecidit. Cæſar vero ipſe grauiter ſaucius, dum extra portam properat, & in confertiſſimam hominum turbam ſe infert, opprimitur, nemine fere qui illum adiuuaret ſubſequente. Reliqua multitudo in Venetorum Genuenſiumque naues ſe recipiens mergitur, & hoſtis in diuina humanaque omnia impune perbacchatur. Ferunt eos, qui non Gręci ritus, ſed Catholici fuerant in vnum conglobatos, ad Sanctæ Zophię ædem cõfugientes, vno ore omnes diuinas ante mortẽ laudes occinuiſſe, & ſic demum Martyrii corona potitos graſſanti hoſti ceruices porrexiſſe. Hunc exitum tulit Conſtantinopolitana oppugnatio, & Gręcorum cum Latinis antiquum illud certamen, cũ extrema Maii die ipſo feſto Pentecoſtes Cæſar Gręcorum vita pariter imperioq; priuaretur, vt omnibus pateat quantis in Diuinitatem

pœnis blasphemia, & in Christi Vicarium castigata fuerit peruicacia: vt qui hæc similesq; mores & exempla sequuntur, similes etiam exitus vereantur.

Comparatio.

MAGni appellatio haud ita immerito Cęsari data est Constantino, sed posterior Constantinus non respondit primo. Nam quantumuis licet Helena matre vterq; fuerat natus, dispari tamen exitu vnus ab altero est baptizatus. Ille ad sacras vndas liber à lepra factus; postremus nō secus ac Andronicus, per fœdata lauacra infamatus. Accesserant vero peccata ipsius etiā populi, toties cū Latinis discordantis. Nā terdecies Gręci à Romana Ecclesia defecisse, & ob eā rem nusquā prospere gestarū rerū successum dicūtur habuisse. Quid multa? ii qui sub pastorali Papæ esse noluerunt, sub acinacem Turcæ redacti sunt, & memorabile exemplū diuinæ animaduersionis in ipsis se ostenderunt. Tardior namq; ad vltionē est Deus

Opt. Max. nec prior apud eum pœna quã fuerit culpa: nec punit quod non potuerint, sed quod noluerint ipsi parere delinquentes. Quod in Græcis eorumq; similibus vidisse, & facile Diuinam erga eos iracundiam cum corpora sanctorũ ex Gręcia aliorsum transportarentur fuerat cognouisse. Nam ingrati immemoresq; beneficii erga Deum fuerunt, & à qua defecerant ad Romanam Ecclesiam eiusq; Principes pro ope & auxiliis in necessitatibus suis toties nihilominus recurrerunt. Memorant quippe Alexium Græcorum Cæsarem occidentales Principes ad recuperandam terram Sanctam per Græciam transeuntes hospitio quidem excepisse, sed gypso cum farina mixto, & per speciem commeatus subministrato, Christianos ferè ad vnum omnes ex inuidia sustulisse: & cum antea quoq; Constantinopolis à Turcis oppugnabatur, ipsum Græcorũ Cæsarem in Gallias iuisse, quæ & habuerat auxilia postulatum. Quę leuibus & temerariis Græcis in obliuionem tandem venerunt, & tam erga Ec

clesiam Romanam ipsam, quam erga eius Principes ingratissimi extiterunt. Quo scelere cum nullum sit vel vnquam fuerit atrocius, eam videlicet diuinitus sortiti sunt pœnam, quali & nomini suo a sperserant maculam, & ruinam retulerant sempiternam.

CAROLI MARTELLI PRIMI FRANCORUM Regis Vita.

CArolus Martellus Francorum Dominus, non tam nobilitate generis, quam virtute propria magis clarus, Aquitaniæ bellum non minus casu feliciter, quam consilio & auctoritate ordinum sapienter diu multumq; administrauit. Annus tum à Christo nato septingentesimus fuerat, quo ille obscuris parentibus natus, Galliæ sibi Imperium arripuisse, & Eudo Aquitaniæ Dux Saracenos contra eum in auxilium acciuisse memoratur. A quibus lacessitus fere quadringenta eorum millia vna die profligauerat.

rat. Qua victoria elatus alterum bellum contra Frisios pro religione suscepit, & terrestri primum bello è continenti pulsos, quibusdam etiam insulis, quibusdam circa Rhenum se tutabantur fortiter priuauit. Facilius enim pro religione rebellionem quam sine Deo regionem domuisse. His igitur rebus gestis Carolus Martellus clarus & formidabilis factus, non tam passibus, quã victoriis multas regiones peragrauit. Ac primum quidem, vt dixi, Aquitanicum, mox Frisicum bellum confecit, deinde Mauritanicum, Massiliense, sine qua vrbe ne Romanus quidem populus triumphare potuisset, exuit. Postremo vero ad sedis Apostolicæ tuendam dignitatem, memorabili exemplo animum & vires suas conuertere minime dubitauit. Omnia enim bella necessario suscepta sunt laudata, sed pro Christi in terris vicario laudatissima. Quo etiam fuerat factum, vt imminenti à Lõgobardis graui & periculoso toti Italiæ bello, à Gregorio Pont. Max. Romam in auxilium euocaretur. Quę res magnum

illi nomen & existimationem pepererat, nisi immatura morte præuentus diẽ suum extremum magno magnorũ bonorumq; omnium in luctu gemituq; clausisset. Omnibus enim qui Christum colunt optãda est vita, sed regibus bonis debet quã longissima, quos aut nunquam nasci, aut nunquã par esset intermori, propter beneficium Reipub. sempiternum. Verum ille cum Gallicis rebus sex & viginti annos præfuisset, & quatuor filios, Pipinum, Carolum Magnum, Ægidium, & Griphonem reliquisset, excessit tandem è vita, vitali dignior vita, & ad omnem æternitaten duratura. Cuius posteritas per multos annorum tractus rerum gestarum viguit gloria, & non prius quam in Carolo Martello altero est terminata.

CAROLI MARTELLI FRANCORVM REGIS *alterius vita.*

Lotario Galliarum rege vita functo, ex stirpe Martelli primi extremo, Carol⁹

Martellus eius patruus Lotaringiæ Dux ad ius Regni capessendum euocatus ex Lotaringia in Gallias properauit. Iam quidem Hugo Capetus secure rerum potiebatur, cum Martellus tanta animi aggressus eũ est impotentia, quantã potuit esse maxima, iuribus suis prosequendis. Verum (vt plerumq; fit) non iure ac disceptatione, sed vi & armis rem aggredi principio placuit, quod per se ipsũ multũ affert aliquando difficultatis. Ratio enim rationem, vis vim semper exposcit. Concursum vtrinq; infestis signis ad Landanum est oppidũ, eo quidem euentu, vt Martellus acie victus loco cedere, & in illud ipsum vicinũ oppidum fugere cogeretur. Quod non diu oppugnatũ simul cum Martello, qui aliquoties eruptionem fecerat, in victoris peruenit potestatem. Qua in re & occasione in vnum illũ Ascalonem Antistitem omnem culpã Martellus coniiciebat, quod noctu referatis portis Capetum intromisisset, sed tractandis in hostes armis perinde fraus atq; candor vulgo laudantur. Non tamen magna ali-

qua crudelitate & in sua illa Capetus vsus est victoria. Ac vel vno illo carcere, cui Martellum in Auralien. vrbe mancipauerat contentus esse videbatur. Satis enim quibusdã est vicisse, & ex aduersis ne viuere quidem hostes quãplurimos permisisse. Intra illum igitur carcerem, quoniam vxore libere potiebatur, & non tam literis quam dabat operã perpetuo liberis, duos Ludouicum & Carolum procreauit filios, qui intra pueritiæ cursum vita functi, Martellorum in Gallia genus & dominatum inglorii finierunt. Sic vt nulla vel minima parte cum Carolo illo Martello & eius filio Pipino, Caroloq; Magno Romanorum Imperatore, conferendi videantur.

Comparatio.

VNum est illud inter nauos & cordatos & his forte dissimiles bellatores discrimen, quod illi gloriam, hi lubricã ambitionem & inuidiosum sibi habent propositum dominatũ. Quod in primo & vl-

timo Martello fuit vidisse. Itaq; & dispares etiam exitus oportuit illos habuisse. Prior quidē pro religione, hic pro regione arma tulit. Non mirū si disponente ita Numine in hostilem etiam potestatem tandem peruenit, & ille victor & gloriosus, vltimus in carcere vitam finiuit. Vulgus quidem (vt fit) ab euentu, sed & sapiens res metitur etiam à cogitatu. Fortunatus natus suo qui semper fuit contentus. Nam altiora nobis quærere non est quiescere, sed præ ocio negocium ineptum sæpe quæritare.

BERENGARII PRIMI LONGOBARDORVM *Regis Vita.*

AB vrbe rerum domina qui impotenter dominabantur, exactis olim Regibus: primum quidem Consulum, deinde vero Imperatorū, ac demū etiā iterum Regum extitit in Italia dominatus. Quē Berengarius hoc nomine primus, anno à Christo nato octingentesimo octuagesi-

mo octauo, mortuo ſine liberis Craſſo, proximo Adriani ſubnixus decreto, ſine vllo certamine fidenter ſibi vſurpauit. Erat is Spoletanę pręfectus ditionis, Vir acri admodum ambitioſoq; ingenio, qui pacato primum agmine Papiam ingreſſus, ab Anſelmo huius nominis IX. Pont. Max. regio diademate pro more eſt inſignitus. Verumenimuero non ita poſtea diu quietus ſtetit, Guidonem imperii (vt fit) æmulum nactus, quo cum in Placentino agro non ſolum de imperio, ſed etiã de vita ipſa acerrime dimicauit. Solem enim mundus, regnaq; non niſi vnum Regem capiunt, & mortui bellũ non amplius gerunt. Quo non obſtante idem ille Berengarius ab Arnulpho Cęſare, impetratis auxiliis, Papiam rurſus rediit, &, licet irrito conatu, denuo ipſam oppugnauit. Sed vt in humanis rebus nihil firmi, ac nec habetur quidem aliquid diuturni, Berengario ad eum modũ variis curis difficultatibusq; implicito, & rerũ ſuarum incerto; de Guidonis aduerſarii morte ſuperuenit nuncius, qui eũ quodãmodo re-

creauit, cum per viginti fere annos continuos quiete frui ipsi nõ licuisset. Quanquam vario & multiplici ingenio, princeps non semper & vbiq; sibi ipsi constare, & nunc in hanc, nunc in illã partem facile inclinare vulgo diceretur; maxime vero cum interea temporis Hungari, subita irruptione in Italiam facta, & non semper æquabili fortuna Berengarii audita, lõge lateq; ipsam depopularentur. Occasio enim furem, & vicinorũ inter se tumultus vel ignauum aliquando excitant bellatorem. Hoc quidem bellum eum exitum habuit, vt Berengarius exercitum, quẽ repente potuit tumultuarie colligere, & vel inuitus cum hoste congredi cogeretur. Refugit enim consideratus Dux domi suæ semper certamen, & alibi oblatum tanquam bonum omen lætus sortitur. Quod eo etiam Berengarius minus libenter & animose aggrediebatur, quo sibi oblatam ab Hungaris pacem certa inita pactione certius pollicebatur. Qua contempta Itali cum iis congredi quam pacisci potius statuerunt: eius prouerbii apud

se for-

ſe forte obliti, quod Fugienti hoſti pons aureus non inepte vel nonnunquam ſterneretur. Ad manus vt ventũ fuerat, & vbi non valuit vlla amplius deprecatio, aut ratio, Hungari ad arma conclamant, & dormientes forte Italos intrepide aggrediuntur. Curabant hi (vt fit) corpora; & maiorum virtutis prædicatione freti, barbarorum copias habebant apud ſe deſpicatui, cum ſubito commutata fortuna, non à glorioſis militibus victi, ſed olim triumphatores poſtea extiterunt ſerui. Qui cum Italia excedere ſe, niſi grandi aliqua pecunia accepta, minarentur, & longe atq; late omnia peruaſtarent, Berengarius hac tanta peſte patriam liberandam vel quamprimum ratus, qua vel maxime potuit celeritate, pecunię aliquid collegit, & certis initis cũ iis pactis Hungaros ex Italia in Hungariam relegauit. Mox vero ad reſarciẽda ab iis damna totus conuerſus, vrbes & oppida, atq; cœnobia, in multis locis partim diruta, partim exhauſta reficere & inſtaurare cœpit, & rurſus in ſequẽti anno redeuntib. ſpe

prædę in Italiam Hungaris, publicæ saluti & securitati quodam modo tandem indormiuit. Curabat quippe alia atq; alia continuo, & vnam illam Papiam, quæ sedes regni esse debuerat, ita fouendam ornandamq́; susceperat, vt quasi de aliis rebus parum aut nihil cogitasse videretur. Et quia Papien. Ecclesiam Metropolitanã efficere non facile poterat, saltem ius & insignia noua Papien. Episcopo apud Pont. Max. procurauit, vt videlicet coacto Concilio illę ipsius Episcopus à leua Pont. Max. sederet, & inter alios equo albo sub vmbella veheretur. Sed dum hæc ita in Italia fiunt, Saraceni qui diu multumq; extremas Italię oras irruptione lacessiuerãt: iam autẽ Gaulio capto, in viatores & earum regionem accolas vehementius grassabantur. Qua de causa cum omnes Italici nominis & seminis populi ad Pont. Max. pro auxiliis confugerent, coactus est Ioannes Pontifex eius nominis quartus, cum Græcorum Cæsare communicare consilia, & tantam pestem à ceruicibus suorum vi & armis v-

terq; remouere. Qua nimirum occasione Gariliæ illa tam memorabilis subsecuta est obsidio. Quod cum in tertium vsq; durauisset mensem, Saraceni cōmeatu destituti, rebus quas ibi habebant suas simul cum oppido succensis, eruptione facta de improuiso fugam dederunt, & se suaq; in vicinas syluas abdiderunt. Quos Christiani insecuti sunt, &, vt ferunt, Petro & Paulo Apostolis sibi astantibus profligarunt. Non mirū est enim cum non tam pro regione quā pro religione pugnatur, quod supremū illud vt nobis adsit Numen non frustra aliquando inuocatur. Anno vero quo hæc acciderant eodem Adalbertus Tusciæ Marchio in viuis esse desiit, & eius filio idem Berengarius ditionem confirmauit. Qua occasione eius mater ambitiosissima fœmina Berta dominari toti Italiæ se forte opinabatur. Sed mirum in modum à Berengarii capta exercitu, in Mantuano carcere ambitionis suæ pœnas exoluerat. Quam nihilominus Berēgarius pristinæ post restituerat libertati. Multi enim beneficio victi ad se redeūt,

& multi ſui & beneficii obliti , eo etiam magis poſtea indureſcunt. Quibus ad eum modum abſolutis Lamberto Epiſcopo Mediolanen. fauore Berengarii potiente, denuo aduerſus eundem Berengarium ſeditio grauis eſt excitata. Auctor ſeditionis Marchio Epyrodiæ Adalbertus fuiſſe memoratur : nec non & alii multi Italiæ Principes & Oldericus Comes Palatinus, qui non tam quidem cito à militibus Berengarii fuit captus, quam eiuſdem iuſſu & voluntatė mox poſtea liberatus. Quod non omnium optime ad extremū ipſi ceſſit, neq; quam par eſt, grati animi teſtificationem erga ſalutis ſuæ auctorem pro ſe quiſq; aliquando declarauit. Pulcherrima quippe placabilitas in hoſtes eſt virtus, ſed videndum ne quid lateat in eo intus cui eam volueris eſſe teſtatam. Paucis namq; poſtea interiectis dieb. cum Oldericum, quem carcere mancipatum liberum fecerat, ſibi viciſſim tradi Berengarius voluerat; Lambertus apud quem erat audacter id pernegauit. Ac breuiter in ipſius necem conſpirauerant vniuerſi;

& qui ei opponeretur, quærebatur: & postremo quidem Rudolphus Rex Burgundiæ inuentus est, qui solenni legatione dimissa, cõtra eum ex Burgundia magnis pollicitationibus euocabatur. Sed dum hæc inter se coniurati agitant, & in suburbanis Veronæ consilia communicant, ecce Hungari iis non persentientibus Veronam cum exercitu de improuiso aggrediuntur. Qua de re certior factus Berengarius, primores Hungarorum, quibus cum coluerat semper amicitiam, obtestatur, vt rebelles & coniurationis in ipsum reos nihil tale suspicãtes captiuos faciãt, & suæ potestatis effectos ipsi demum tradant. Quod illi mandatum secuti ipsos sine mora aggrediuntur. Cecidit in prælio Oldericus, Adalbertus vero & Gillibertus capti debebant Berengario mitti, inter quos Adalbertus, ne forte cognosceretur, veste mutata, & gregarii militis nomine sibi sumpto, paruo precio se redemit. At Gilibertus in conspectum Berengarii adductus, ac gratiæ veniam quam & obtinuit supplex est precatus. Quem mi-

sericordia Berengarius ductus his tandem verbis ipsum est allocutus. Errato, inquit, tuo veniam non inuitus concedo: Iusiurandum nullum abs te reposco; fidei tuæ, si quam habes, totum me cõmitto. Vide Deum Optimum Max. vindicem & iudicem vtriusque nostrum esse futurum. si gratum te præstiteris, manet te apud omnes gloria, & merces diuinitus sempiterna: si, quod valde suspicor, feceris secus; infamia & pœna sempiterna. His dictis abiit. Gildebertus vero non ita cito liber euasit, & ad ingenium vicissim rediit, & à coniuratis ad Alpes missus contra eundẽ Berengarium Regẽ Burgundiæ adduxit, qui pulso Berengario paulo post diademate Regio Papiæ est insignitus. Talem nimirum ingrati referunt gratiam Principibus, facile credentibus & inconsideratis. Sed nec Rudolpho quidem Burgũdiæ Regi diuturna ea lætitia fuerat: nam iidẽ illi qui in Berengarium coniurauerãt, etiam Rudolph. vitæ sunt insidiati, & rursus quæsita apud Berengarium venia eius partes sequebantur. Commissum in-

terim

terim inter Berengarium & Rudolphum atrox fuerat prælium; in quo Rudolphus victor Berengarium Veronam aufugere fecit, & aliquandiu vtiq; conquieuit. Verumenimuero illorum populorum ſpretis ingeniis, tumultumq; pertæſus, paulo poſt in patriam eſt reuerſus. Fauent enim prodituris non proditoribus Reges; & ſi ad tempus placent, ſemper tamen ſuſpectæ & odioſæ eorum ſunt molitiones. Berengarius æmulo longius ab Italia diſcedente ocium cum dignitate nactus, viribusq; ſuis confiſus, ſecurus rerum potiebatur: cum denuo nouæ eum exceperant turbæ Veronen. perfidia excitatæ. Nam cum hi hactenus ſeruaſſent ipſi fidem; poſtremo quia Berengarii prorſus extinctam volebant potentiam, & ipſius capiti quam maxime ſunt inſidiati, auctore quodam Flamberto, cuius filium è ſacro fonte leuauerat, qui ipſe eum interficere aliis etiam promittebat. Adeo multum infidelitatis eſt in amicis etiam coniunctiſſimis, vt nulla non iura regnandi cauſa violentur. Hac interim de re Beren-

garium

garium fecerant quidam certiorem, sed ille conscientiæ confisus suæ, & quod nulli fecisset iniuriam, facile hos rumunculos apud se contemnebat. Vna tamen die sic Flambertum affatus, non tam sibi quã amicis satisfecit: Si, inquit, Flamberte tecũ non tanta quantã semper habui esset mihi amicitia, facile crederem vulgi vocib. huius, quæ de te tuiq; similib. passim & vbiq; circũferuntur. Sed optima quæq; & vbiq; de te mihi semper sum pollicitus, siue id bonitate naturę meæ, siue opinione firmitatis tuæ, quam & ego quidẽ expertus sum sæpius, & tu mihi toties sanctissime promisisti. Quibus quidem si tu promissis non steteris tuis, Deus Opt. Max. ingratum tuum erga me animum procul dubio vlciscetur: deinde & ego, ne tu mihi noceas, prouidebo. Sed si fidem seruaueris, dabo operam, ne te eius vnquam pęniteat, cum gratum & liberalem principem me semper cognoueris euidenter. Hæc ita breuibus locutus: aureum maximi ponderis poculum afferri iussit, mero plenum, quod illi obtulit ebibendum;

Amoris, inquit; mei & salutis tuę ergo hoc bibito, aurum vero tibi seruato. Lambertus actis vt debuit gratiis, & excusatione, quò se suspitione liberum faceret, prolixissime conceptis verbis pronunciata, Berengarii mentem quodammodo tranquillauit. Interim tamen lingua iurans, iniuratam mentem gessit, & de nece Berengarii consilia initurus, coniuratos & molitionum suarum, vel ante etiam conscios secreto conuocauit. Pilum non viciũ mutant lupi, & sui semper similes maleficio obligati. Quo magis & illi Berengarium, circa templum habitantem, nec vllas insidias metuentem, obseruabunt. Qui vt in sequenti die templum pro more ingrediebatur, multos armatos circumquaque discurrentes conspicatus, quid sibi illud vellet Lambertum interrogauit? Sed cum ille non contra eum, sed pro eo stare testificatus fuisset omnià, tandem ei responsioni, vt solitus facere semper fuerat, acquieuit. Interim pedem è templo effetens à tergo percutitur, & in terram cadens magno profuso sanguine, qui elui

 postea

postea non poterat prorsus examinatur. Princeps pietate, liberalitate & mansuetudine perinsignis, sed credulus nimis & tumultuum seges & auctor tota Italia quasi perennis. Cuius mortem quidam Milo, quem à puero sibi educauerat vlciscens Flambertum aut Lambertum, simul cum sorore eius germana in publico foro laqueo strangulauit.

BERENGARII ALTERIVS REGIS LONGObardorum Vita.

PErturbatus tota Italia rerum fuerat status, & illius nominis feminisq; mortales, nouitatum auidi, præsentium ingrati, & præteritorum obliti spectabantur; cum pro se quisque potentiorum principum variis modis & artibus principatum Ambien. huc & illuc cupiditate ferebantur. Quam ad rem opportunitas quoq; ipsius tēporis accesserat, & Lotarius Rex, ob grauia à Berēgario tributa populo imposita, angore animi q̄ ea exigere amplius non

poterat confectus, mirabiliter perijt, in huius locum Berengarius alter Veronæ dominus fauore successit populi, cuius animum largitione & congiariis iam pridem occuparat. Adalbertus erat ipsius socius, qui vterq; haud ita incômode liberalissime quidem semper populos gubernarunt. Omnes enim qui gubernaculis præficiuntur, à vulgo mansuetudine & beneficentia inprimis commendantur. Iam vero in sequenti anno, qui à virginis partu supra mille noningentesimus & quinquagesimus numerabatur, fœdus cũ Venetis Berengarius percussit, & inter suos ac eorum fines terminos collocauit. Sed quia Regẽ appellari posse diffidebat se, si veterum Regũ domicilium Papiam non possedisset, ideo Altheidæ magnopere expetiuit nuptias, quæ Papia dotis nomine potiebatur. Sed ea inueterato in eũ ferebatur odio, & siue iniurias socero ab eo illatas recordabatur, siue hominem tumoris & ambitionis refugiebat plenum, superbe eos, qui Berengarii nomine ad ipsam venerant, repudiauit. Quæ repulsa

ſic eum pupugerat, vt quod elicere amore non potuit, vi ſibi putaret extorquendũ. Cogunt enim armatæ principum preces, & neceſſario ſæpe acceptandæ eorum ſunt poſtulationes. Nam non multo poſt magnis coadunatis Berengarius copiis Papiam captiuam fecit, & Altheidam in caſtro quodam dicto Garda ad locum Bennacum adhibitis cuſtodibus carceri mancipauit. Quæ tandem corruptis cuſtodibus, & Martini ſacerdotis ſui ope vna pediſſequa comite aufugit, ac primum in agrum Regien. profecta, Adalberto Epiſcopo ſe ſuaq; omnia ſupplex & impenſe commendauit. Qui quoniam illi patrocinium præſtare non poterat, blandis ſaltem verbis conſolatus eam eſt. Et auctor fuit ad Attonem proficiſcendi, qui & ipſe humaniſſime eam habuit, & quantum in illo fuerat, iuuare etiam pro re & occaſione polliceri non dubitauit. Fecerant iam quidam Berengarium ea de re certiorem, qui literis & legationibus dimiſſis eam ſibi tradi poſtulauit. Illo vero renuente atrox ſtatim bellum inter Be-

rengarium & Attonem exarsit. Quod eo euentu post longa & varia certamina est terminatum, vt cum Atto Berengario resistere amplius non posset, rursus Altheidam ad Ottonem Cęsarem in Germaniā ablegaret. Spe certissima facta ipsius nuptiarum, simul totius etiam Italiæ nomine eundē obtestatus, ne nobilissimę prouincię deesse, & talem dotem aspernari velle videretur. Res initio dura, & non sine aliquo periculo censebatur ab omnibus subeunda. Nuptiarum tamen idque talium ac tantarum spes, & res ipso digna opem ferre supplicibus Cæsarea videbatur maiestate. Quo circa maximis collectis vndiquaque militibus, venit in Italiam Otto, & statim Verona ampla & nobili Italiæ vrbe potitus fuisse memoratur. Berengarius vero ad ipsam aduentus eius famam, nullo certamine prorsus tentato, longius castra mouit, & ad aliam regni sui partem cōuertit se defendendam. Tuta enim etiam aliquando timēt, qui timeri perpetuo concupiscūt. Interim Otto Altheidam vxorē duxit Imperator, &

magno concurſu & applauſu populi nuptias cum ea celebrauit. Sed inſequenti anno, ineunte ſtatim vere, in Germaniam eſt reuerſus. Quod cauſa fuit, vt in ſuum locum Conradum relinqueret, qui reliquias belli cõtra Berengarium perſequeretur. Sed ille cum virib. & animo deſtitutum eum vidiſſet, tantum abeſt vt vlciſceretur, quod etiam vt ad Ottonem in Germaniam iret, & ſupplex miſericordiæ eius ſe commiteret hortabatur. Quod ſiue miſeratione eius ductus faceret, ſiue Chriſtiano ſanguini parcendũ eſſe recreetur, Berengarius quidem recte monenti morẽ geſſit, & nulla interpoſita mora, ad Cæſarem Ottonem in Germaniam cum honorifico comitatu tandem diſceſſit. Ferunt aduentanti à primoribus aulæ ad primum lapidem occurſum fuiſſe, & Berengarium in hoſpitium deſignatum comiter deduxiſſe. Qui poſtridie eius diei ad Ottonem admiſſus fuerat, & veniam ſupplex ab eo impetrauerat. Non prius tamen quam ſolenni deprecationi Berengarii, menſe Auguſto, & Auguſtæ Vindeli-

eorum dies est præstituta. Quo in conuentu omnibus fere Germaniæ Principibus ad suum Cæsarem confluentibus, Berengarius cum Adalberto filio, nexis manibus inspectante toto populo Ottonis potestati se commiserunt. Quibus ille in fidem & clientelam suam receptis, regnare quidem permisit, sed Veronen. & Forolouien. Marchiam sibi reseruauit. Quod Bauariæ duci, summo tum Germaniæ totius Principi, ante dedisse eam se testaretur. Sed vt etiã vel hanc quoq; Otto restituisset, idem fortasse à Berengario eiusq; ingenio fuerat expectandũ. Pilum enim non vitiũ lupi, & cœlum non animũ mutant malitiosi. Nam simulatq; ex Germania in Italiã reuersus fuisset, nouos denuo tumultus & rebellionem in Cęsarem excitauit. Inaudierat nõnullos Germanię Principes aliquid contra eum moliri, & propterea hac re & occasione ductus, suis quoq; molitionib. voluit velificari. Prorsus ergo beneficii accepti ingratus immemorq; factus, contra Cæsarem denuo arma suscepit, & in exarchatum Rauenen.

cū exercitu progreſſus Diuina humanaq; omnia impotenter violauit. Cuius nequitia Agapetus Pont. Max. cum Archiepiſcopo Valperico, & ipſa indignitate rei populorumq; miſeria moti, ad Ottonem Cæſarem nuncios literasq; mittunt, & vt illis opitulatum in Italiam veniat obteſtātur. Facit hoc iterū Otto, & ſe Pont. Max. neque Reipublicæ vllo mode defuturum pollicetur. Nec mora, Ludolphum filium præmittit in Italiam cum exercitu: qui de Berengario nobili victoria potitus, in Nauarienſis lacus inſulam ipſum compellit, & quamplurimas eius arces & oppida in ſuam redigit poteſtatem. Sed interim ſubitanea morte correptus pulcherrimum opus Ludolphus relinquit, & in Agapeti Pont. Max. locum, qui per eos dies extinctus item fuerat, Ioannes ſuccedit. XII. Berengario iam æquior, quam antea ceſſor factus. Quo etiam ſucceſſu Berengarius inſolentius adeo ſe geſſit, & nihil amplius Ottonem ſibi nociturum, qui Slauonum contra ſe rebellione exagitabat, certo certius ſibi per

ſuaſit. Sed nec ille quidem Pont. ipſius inſolentiam ferre diu potuit, ac Ioannem Diaconum Cardinalem ad Ottonem Legatum miſit, qui ipſius auxilium imploraret, & ſimul ad diadema accipiendũ Rom. Pont. nomine inuitaret. Facilius enim impetrãtur res cum propoſita alicui fuerit ſpes, ſiue dignitatis, ſiue vtilitatis conſequẽdæ. Hæc dum ita ſolennis illa Pont. à Cæſare expoſcit legatio, alii atque alii ab eodem ſimilia quoque identidem precantur. Neq; vero deerant etiam Cæſarũ, appoſita quæ memorabantur exempla, Caroli Magni & aliorum, & Berengarii Tyrannis, & nequitia toto terrarum orbe conſtanter prædicabantur. Cui malo vt Otto occurriſſet, pariterq; etiam Imperialem dignitatem ſuam à rebellibus ſartam tectamq; conſeruaſſet, per Tridentinas rupes, cum ſua coniuge Altheida & numeroſiſsimo exercitu, eſt profectus. Aduenientẽ Valpertus Mediol. Epiſcopus & Marchio Adalbertus, qui & ipſi multa ab eo pertulerant, cũ deſiderio expectabãt, factusq; eſt magnus populi ad

eum concursus & congratulatio singularis. Sed vnus ille Berengarius sceleris & ingrati sibi animi conscius, vel fama Ottonis aduentus consternatus, nũc hic nunc ibi fortissimis in locis se occultabat. Cui regno abrogato Mediol. Antistes diadema Ottoni imposuit, ad aliud autem à Pont. accipiendum paulo post Romam Otto etiam properauit. Quod à Ioanne Pont. Max. vt promissum fuerat tandem sortitus, paulo postea immutatam erga se Pont. expertus est voluntatem. Erat ille iuuenis, & parum habebat colendis amicis firmitatis. Itaq; modico interiecto tẽpore erga liberatorem suũ ingratus, certis initis cum Berengario pactis cõtra Cæsarem conspirauit. Quæ res non Ottoni tantum, sed toti orbi terrarum extitit admirationi, qua re nihilominus aliquãdiu prudenter dissimulata; & Pontifice, qui Italo quam Germano magis fidendum esse dicebat, à se non prorsus nec protinus abalienato, in aliud tempus vindictam reseruauit, & quodam magis opportuno alio tempore concilium coë-

git,

git, in quo Pont. Ioannis minutatim omnib. palam ostensis criminibus alium in eius locum, Leonem dictum, curauit eligendum: & simul quoq; Berengariũ diuturna obsidione fatigatum vna cum vxore captiuum fecit. Ac ita tandem in Bauariam, quod homini perfido nunquam amplius fidendum esse diceret, ad perpetuos carceres ablegauit. Turbulenti namque & ambitiosi non quiescunt, nisi æternum conquiescant.

Comparatio.

VTerq; quidem Rex Longobardorum Berengarius, Princeps ambitiosus nec satis laudatis succreuit artibus. Primus tamen mansuetus & religioni erat deditus, quanquam parum interdum cautus, & ad credendum facile procliuis & pronus. Quod omnibus tribuitur vitio, sed Principib. maximo. Nam non temere credere Regis est cordati, & omnia contemnere nunquã considerati. Vltimus vero natura & moribus fuit profligatus, & in aduersa fortuna supplex & abiectus. Quod tot eius

cum amicis infidelitates & deprecationes quas fecit declarauerunt. Ac vt prior etiam credulus & placabilis fuerat; sic alter credebat nemini & sæpe à nemine perpetuo non timebatur. Vnus ergo ab ingratis occisus, alter ob ingratum animum in carcere est extinctus. Sic mali corui malum ouum, & quod diuinitus non proficiscitur, non est diuturnum.





CHRISTOPHORI VARSEVICII. C. C.

VITARVM PARALLELARVM

Liber Secundus.

BALDVINI PRIMI HIEROSOLYMITANI *Regis Vita.*

PERVolarat terrarum orbem impii & sacrilegi Machometis dogma, Monacho quodam Sergio adstipulatore adinuentum, & Orientis regna ac prouincias multas Saraceni occuparant, cum adeo auctore Vrbano II. Pont. Max. in Claromontano concilio, tanquam tuba occidentales Principes excitati, arma contra eos capere, quam sub Vrbano

IV. rursus amiserant, & ad terram sanctam sub iis recuperandam proficisci minimime dubitarunt. Ac primus quidem Godifredus & Balduinus fuerant, qui per ardua difficiliaq; itinera, immensa terrarũ emensi spacia, Hierosolyma & tota Palestina sunt potiti. Fauet enim piis suorum Principum Deus Opt. Max. conatibus, qui non tam regione quam religione propaganda potissimum delectantur. Sed quoniam Godifredus immatura morte extinctus totam molẽ & administrationem belli sequentibus se reliquerat; propterea quidẽ non à Godifredo, sed à Balduino primo, cũ quasi Balduini duo, Latinorũ in Asia primi auctores, & destructores quoq; fuerint, belli sacri historiam ordiemur. Nõ deerant, qui Godifredo mortuo Boëmundum quam Balduinũ potius in Regẽ censuerant eligendũ; propterea quod Balduinus sacris ordinibus susceptis, ad prophana Regni gubernacula nõ admittendus amplius videbat᷑. Inter quos Dagobertus Patriarcha Hierosolymitanus ipse potissimũ etiã fuerat, & quã maxi-

me quidem potius Balduino in regni posſessione adiuncta reſiſtebat. Omnia enim regnaturis principio ſunt ardua, ſed maxime à proceribus regnorum inuidioſe agitata. Verum cum ita regnum diuerſis factionibus æſtuaret, & Boëmundus interim ab hoſtibus captus eſſet, Balduinus vi ſibi aperta ad regnandum via Hieroſolymam cum exercitu eſt reuerſus. Diffidere tum ſibi ſuiſque rebus Patriarcha cœpit; & poſt longas ac multas rerum & verborum concertationes cum Balduino in gratiam rediit, & diademate regio ipſum poſtremo inſigniuit. Nulla eſt namque ſalus bello, maxime autem inteſtino. Qui quidem Balduinus ad eum modum gubernaculis cæptus, qui ab eo adhuc diſſidebant, ad officium reducere, & omni ratione animos eorũ voluit ſibi conciliare. Demũ prolatis etiam foris armis, & potentiorum hoſtium perfractis viribus, totum illud Hieroſolymitanũ regnum tranquillauit. Per id tempus graſſabantur etiã paſſim latrones infeſti viatoribus; & maritimæ quædam vrbes, nouis iſtis Regibus

non vſque quam adhuc parebant. Nam plerumque noua imperia contempta, & violenta ſunt periculoſa. Quas ad officiũ redigere, & gubernaculis ſuis Balduinus poſtremo fecit obtemperare. Et erant quidem vrbes illæ toto regno potentiſſimæ, pecuniis & commeatu abundantes, vtpote Ptolomaida, Cæſarea, Sydon, Tyrus, Beritus, Aſcalona, & alia nunc his, nunc illis nominibus nuncupata. Quas non niſi longa obſidione ad deditionem compellere, aut agris præſidiisq; exutos in poteſtatem ſuam poterat mancipare. Sed & cum Græcis ipſis, quanquam Chriſtianos ſe profitentibus, tuta pax, & amicitia vſquequaque non habebatur. Bellũ denique acre, & quaſi perpetuum, contra Catamanos, Cilicios, Syrosq; gerendum, & grauiſſima hinc inde pericula ab Arabibus, Damaſcenis, Turcis, Ægyptiisque Regno Hieroſolymitano, ſemper erant formidanda. Quo magis ad occidentales Reges & Principes (vt fit) confugere, & auxilium ab iis oportuit continuo implorare. Qui & ipſi nunc hoc nunc illud cau

ſabatur, & ægre tam longe à ſe diſſitis, nec ſemper cõcordibus, quibus aliqui in quotidianos vſus ſuos indigebant, mittere ſoliti fuerãt pecunias ſemper quaſi ęgre pro ſe ac multo magis pro aliis numeratas. Ferebatur namque fama, nunc augeri, nunc minui Chriſtianos in Occidente ſucceſſibus, & ſicuti quiſq; affectus erat, ita Chriſtianorum rebus & ſucceſſibus forte fauebat. Non deerant tamen Pont. Max. ſub miniſtrandis interdum, nunc pecuniis, nunc exercitibus, & pro concione animari faciebant populos, vt quæuis pericula pro Chriſti religione ſuſcepiſſent. Quo erat factum, vt tandem diuerſorum nominum principes, nullis coadunatis copiis, in Aſiam proficiſcerentur. Ac inprimis Galli & Germani in eam expeditionem vltro ſe offerrent, quæ pro Chriſti gloria, & eius glorioſo ſepulchro è faucibus luporum ſuſcipiebatur vindicando. Cruce ſignatorũ immenſa vndiquaq; confluxerat multitudo, adeo vt vel ipſe Alexius Cõſtantinopolitanus Imperator, licet in ſpeciem humaniter eos exciperet, eorum

tamen identidem confluētes vndiquaq; copias aliqua ex parte vereretur. Erat is versipellis maxime, & Latinorum successibus in Oriente (vt plerumq; fit) inuidebat. Semper enim inter æquales, aut sibi similes, perpetua est æmulatio, & quod vni diuinitus datur, id sibi ademptū alter arbitratur. Itaq; cum Christiani Raymundum Comitem Tholosanum apud Cōstātinopolim toto exercitui prę fecissent, Alexius dimissis hinc inde literis de omnibus consiliis & actionibus eorum orientales populos faciebat certiores. Quod ideo fiebat, vt eorum numero non absterriti armo protinus caperent, & se suaque intrepide tutarentur. Metuebat quippe non magis à Saracenis, quam & ab illis Christianis sibi vehementius, & gypso farinæ mixto cōmeatusq; loco subministrato perfidiose quosdam enecabat. In summis igitur Christiani versabantur vndiquaq; angustiis, & in primo quasi ingressu infeliciter cum Saracenis dimicarunt. Quos ex prælio fugientes refrenare Balduinus nullo modo potuit, sed nihilo-

minus tamẽ paulo post dispersum, & inedia languentem militem recollegit, ac demũ etiam apud Ptolomaidem, Cæsaream & Ascalonem, longe lateq; depopulatis hostium finibus, gloriosum de hostibus fecit se victorem. Non enim necessarium, nec factu credibile fuerit, feliciter sẽper confligere; sed illud nimirũ est artis & necessitatis, fractis hostiũ viribus secure postremo de iis triumphare. Nã per hæc quoq; tẽpora, dum hæc ita susq; deq; agitantur, Genuen. classis oportune superuenit. Nec non Regis Daniæ & Noruegię altera, quibus Christiani adiuti multas & magnas vrbes & Saracenorum munitiones in suam redegerunt potestatem. Sed vnum illud maxime fuit mirabile, quod de Genuen. prædicatur, quod cum Balduino Regi essent confœderati, & Hierosolymã, Antiochiam, Sydonem, & Cæsareã expugnasset, vas smaragdicũ inęstimabilis præcii eos reperiisse Cæsareæ, quod agnũ illũ Paschalẽ in vltima Christi cęna cõtinuisse, aliis vero auctoribus Hęrodis Ascalonitę, nõnullis Salomonis fuisse ferebat. Est

illud magnitudinis duarum palmarum cũ dimidio, in circumferentia autem ſeptẽ: quod in hanc vſq; diem Genuę adhuc aſſeruatur, & mihi pro Genuen. humanitate cum meis familiaribus videndum, & palpandum eſt datum. Vt vero par prędæ partæ eſſet victoriæ; primo loco poſita eſt ipſa vrbs Cæſarea, ſecundo mobilia omnia, tertio loco illud ſmaragdicum vas, quod ab omnibus quidem nunc maximi, parui à militibus tum æſtimabatur. Quod Genuen. quibus data fuerat optio; dignitatem vtilitati magis præferentes, dari ſibi petierunt, & per Vgonem quendam Caſerium, ſummum totius exercitus prę fectum, qui ab Ottonibus Cæſaribus ortum, & ruri non procul à Genua ſuum habebat ſepulchrum, in ærarium ſuum accipiẽtes intulerunt. Sed nos ad hiſtoriæ noſtræ curriculum reuertamur. Balduinus ergo Rex prolatis regni ſui finibus, & Tācredo Boemundoq; ſibi reconciliatis, nõ ita multo poſt obiit, Princeps longiſſima vita dignus, qui Hieroſolymitanum regnũ primus ex Latinis religione imbuit,

& ab

&ab hostium incursionibus pacauit, & Christianos Syros propositis amplissimis præmiis in illud induxit, & possessiones ac reditus non mediocres ipsis assignauit. Qui idem Cathedralem Ecclesiam in Bethleem erigere, & à Pont. Max. totus semper pendere, & Patriarcham sibi reconciliatum in amicitia perpetua retinere, ac quicquid bello quæsierat, sacerdotibus distribuere non dubitauit. Qui nisi immatura morte surreptus fuisset, in Ægyptum exercitum ducere ipse volebat in expeditionem: sed morbo correptus graui, deportari se Hierosolymam tandem fecit, quam antequam attigisset, vitæ & gloriæ satur expirauit.

BALDVINI ALTERIVS VLTIMI REGIS *Hierosolymitani Vita.*

VLtimus erat ex Latinis Balduinus dictus Hierosolymitanus Rex, qui initio quidem concordibus suffragiis electus, paulo postea propter suã sibiq; adhę-

rentium expectationem vehementi tempestate est agitatus. Habebatur eius ætatula despicatui, & minime idonea regali functioni. Quod causæ fuit, vt Milo quidam Plancius, qui regnante adhuc patre in summa apud omnes fuerat auctoritate, annuente Rege puero, gubernationē regni susciperet, & tam Regi quā sibi etiā ipsi haud ita mediocrem inuidiam vulgo conflaret. Turpe enim omnibus, sed turpissimum est Regibus, alieno viuere & gubernare arbitratu. Quadam igitur intempesta nocte in via publica confossus est Milo, & odiosus ille ipsius malum exitum habuit dominatus. A cuius morte pacatiora omnia videbantur futura, & Hierosolyma Christi hæreditas ex faucibus barbarorum erepta tandem aliquando quietura, cum subito Raymundus Tripolitanus Comes tandem illam regni gubernationē denuo suscepit, & quantum quidem in eo fuit, ad vtilitatem & cōmoda tenelli Regis omnia adnimistrauit. Erat quippe prudentia, magnanimitate, splendore, magnificentia, & mansuetudine præ aliis

ſingulari, adeo vt non ſolum gubernatione, ſed ipſa regia dignitate & gubernaculis Reipub. tractandis digniſſimus videretur. Quod re & veritate ipſa teſtatum perpetuo faciebat, nec aliquid prius antiquiusue habebat, quam vt Balduinus Rex in omni educatione bona adoleſceret, & confinibus regni ſartisque tectisque conſeruatis iure & poſſeſſione ſui regni ſecurus tandem lætaretur. Quo ipſo etiam tempore, fœlici ſtatu & adminiſtratione Balduini intellecta, Regni Damaſcenorum proceres, puero principe ſuo hæreditario ſpreto, Melchiori Noradum Regis filio per ſummum regni diſſidium & contumeliam gubernacula detulerant, & vt ad ipſos celeriter adueniſſet ſupplices implorauerant. Quod etiam ille ſine mora fecit, & ſimul ac inuitatus fuerat, ad regni gubernacula capeſſenda, protinus aduolauit. Vna enim illa celeritas aduentus Principis nutantes hominum confirmat animos, & frangit (vt plerumque) turbulentos. At interim qui partes ſequebantur pueri Regis, etiam

Hierosolymitani auxilia magna consensione postulabant. Cui cum quoniam Saladini Ægyptiorum Regis sibi vicini formidabilis erat potentia, posteaquam ancipiti contentione dui distentus fuerat, iussus est tandem gubernator Saladino obuiam progredi, & cum eo aleam Martis experiri. Sed ille dubiæ dimicationi pacem indubitatam præferens, Saladinũ quidem muneribus corruptum retrocedere fecit; sed Regem suum à se quodam modo abalienauit. Qui militari ingenio puer, alium denuo collegit exercitũ, quo regnum Damascenorum longe atq; late est depopulatus. Hinc quarto regni suo anno in grauem incidit ægritudinem, & Philippum comitem Flandriæ gubernaculis regni præficere in animo habuit. Sed ille magnũ quid animo voluens, & regnũ quã eius administrationẽ magis appetens, superbe eam prouinciam aspernari apud se nõ dubitauit. Quod cũ obtineri forte ab eo nõ poterat, postulatũ saltem illud fuerat, vt vel vna vice tãtum exercitũ duceret contra Ægyptios in expe-

ditionem. Bellum quippe ex pactione cum Constantinopolitano Cæsare contra eos debebat administrare. Verum ne hoc quidem ab eo obtentum est, qui vel Hierosolymitanis ipsis, ne bello tam atroci se implicuissent, occulto consilia suggerebat. Tanta animi obstinati plerumq; est impotentia, vt vel victoriam nolit cum possit persequi exploratam. Discesserunt interim infecta re, qui eo nomine ad Balduinum venerant variorũ Principum oratores: maius vero inter Regem & Comitẽ gliscere cœpit odiũ, maxime quod Saladinus Hierosolymitani regni fines ingressus vi & ferro omnia peruastabat. Qui congressus quidem infelici cum Saladino est prælio, sed & ipse cum vlterius quam par fuerat victoriam prosequebatur, tantum non peruenit rursus in Saladini potestatem. Scienter enim fugientium persequendæ sunt reliquiæ, ne qui fugant, fusi rursus fugatiq; videantur. Calumniari interim comitem nonnulli cœperũt, quasi ipse beneficii & sanguinis nexus parũ cũ Rege memor, regni ipsius am-

biret dominatum. Verum & hæc ipsa tandem ex animo Regis euulsa est opinio, ac prudentiorum hominum opera & consilio parum inter eos subsecuta. Nimirum apparet quantum in regnis ciuilis inciuilis valde sit discordia. Nam hac Christianorum inter se concertatione motus Saladinus eorũ quæ promiserat oblitus Hierosolymitanum regnũ denuo infestauit. Quæ res animũ Regis iam pridem distẽtũ ita pupugit, vt cum aliquando in morbum incidisset grauem, abdicare se regno, & Climaciũ comitem Ioppen. totius regni administrationi præficere minime dubitaret. Sed nec in hoc quidem ipso penitus etiã conquieuit. Nam siue quod parum feliciter & strenue bellum contra Saladinum gesserat, siue quod ambiti regni ab aduersariis insimulatus fuerat, ab illa rursus præfectura eum amouit, & filiũ Balduinum V. hoc nomine dictum corruptis quorundam procerum suffragiis fecit inaugurari. Quæ res maiores adhuc inter Regẽ & comitem Ioppen. inimicitias excitauit, adeo vt res mœrore animi

magis magisque quotidie labeſceret, & non ita etiam multo poſt vitam cũ morte commutaret. Quem paucis interiectis menſibus, non ſine magna ſuſpicione veneni ſubſecutus eſt filius, & in eius locum aduerſante potiſſimum Tripolitano comite Guido ſuffectus. Quæ nimirum diſſenſiones, & inteſtinæ Procerum inter ſe diſcordiæ, nobile illud Hieroſolymitanum è manibus Chriſtianorum eripuerunt Imperium, vt poſt octogeſimum circiter annum rurſus Machometiſmo & ſeruitute præmeretur.

Comparatio.

MIrum dictu eſt quanta Chriſtianorũ ad recuperandã terrã Sanctam fuerit initio religio. Cui non perçque media, extrema nihil minus reſponderunt. Solent enim fere omnia inſtar flammę exardeſcere ſubito principia, media tepidiora, ſed omnium tandem tepidiſſima eſſe extrema. Et quibuſdam gentibus nationibusq; diuinitus datũ id eſt, vt acquiren-

dis quam conseruandis regnis fiant feliciores. Cui rei prouidendum est maxime, quippe non maiori laudi vincere, quam victoria scire vti, semper est iudicatum. Ardens erat Balduinus primus religionis cultor & propagator, nec scio, si vel Godifredus ipse vlla vel minima aliqua in parte extitit illi superior, vt pote qui Hierosolymitanum regnum adeptus, ob breue vitæ curriculum, non vsquequaq; omnes sedauit tumultus. At Balduinus multis & variis in locis cum hostibus diu multumque toties est congressus, vt facilius eum laudare, quam æmulari potuisse alter videatur, quem posteriores Balduini, nec vita, nec instituto, neque ipso bello fortiter contra hostes gerendo sunt assecuti. Male enim pueris plerumque committuntur imperia, nisi virtutis quam ætatis celerior in iis cursus fuerit, & senes auditores habuerint. Balduinus quidem primus pro Christi lege & grege cum hostibus religionis pugnauit, alter cum regni sui æmulis perpetuo decertauit. Quid igitur mirum, si vltimus à primo disparem

habuit exitum, quia illius tuendæ religionis, rebellionis castigandæ alterius fuit institutum? Præclare Romanus sapiens: Deus (inquit) simul posuit regnum & odium, sed infortunatus natus, cuius odii & vindictæ prosequendæ perpetuum fuerit studium. Reseruauit quippe Deus sibi tria: Honorem, iudicium, & vindictam scelerum, quam si vel maxime possis nunquam salua consciẽtia sine periculo prosequere. Quo etiam ipso non obseruato, Hierosolymitanum à Latinis rursus ad Saracenos rediit regnum, & miserrimorũ mortalium animabus & corporibus attulit inter se discordia exitiũ sempiternum.

ALPHONSI EX ARRAGONIIS PRIMI NEApolitani Regis *Vita*.

HIspanien. olim regnorum conditorem Attanaricum occidentalium Gottorum fuisse Regem, & Ioannem eius nominis primum ab hoc demum ortum suum habuisse, nemo sanus dubitauit. A-

quo circa annum post mille tercentos nono & septuagesimo, duo procreati filii, Henricus & Ferdinandus, duo luminaria mundi vulgo aliquando dicebantur. Verumenimuero Ferdinandus antequam Arragoniorum sortitus fuisset regnũ, ex Blanca Alaorech Comitissa, hunc de quo dicturi sumus, Alphonsum suscepit filium, multorum regnorum populorumque possessorem. Nam modico à patris obitu tempore, Arragoniæ, Valentiæ, Siciliæ, Sardiniæ, & Maioricæ Rex iusto titulo & possessione dicebatur. Neapolitanum vero regnum, in quo Normani, Andagauen. Arragonii, & ipsi postremo nũc regnant Austriaci, hoc modo fuerat consecutus. Extincta parum pudica & lasciua fæmina, Regina Ioanna Neapolitana, Barones quidam regni in Sicilia manentem, Regẽ Alphonsum Arragoniæ, ad gubernacula sui regni capessenda, graui & maturo consilio concordibus votis & suffragiis euocarunt. Venit is classe vectus Neapolim, à partu virginis supra millesimum & quadringentesimum sexto & trigesimo.

gesimo. Nec mora & Gaetam, quæ ipsi restiterat, obsidione cinxit, & cum Genuen. non tam quidem feliciter quam fortiter nauali prælio depugnauit. Non semper enim peræque fortunati, quam debemus vel in aduersis esse fortes & animati. Nam idem ille Alphonsus in pugna captus, & ad Philippum Mediolanen. Ducem adductus, pristinæ restitutus facile est libertati, quod Principem magnanimum, & viribus consilioque præpotentem captiuum detinere diu nephas omnino videbatur. Et quod idem ille minime fallacibus argumentis & rationibus Aragoniorum quam Gallorum Regum Imperium Italiæ magis proficuum testabatur. Ex ea igitur detētione liber factus, & Neapolim tandem reuersus, non solum Gaetem, sed Neapolitanum totum regnum, facile pacauit, & Patriarcham, qui ipsi maximopere aduersabatur, sibi reconciliauit. Expedit enim rebus regnis initio adeundis, quam paucissimos hostes aduersariosque habuisse. Quibus Alphonsus prudenter, nunc armis,

nunc

nunc concilio placatis, triumphantis instar Neapolim ingressus est, magna populi acclamantis lætitia, Anno Christi supra millesimũ & q adringẽtesimum secundo & quatragesim o. A quo demum tempore cũ Eugenio hoc nomine quarto, Pont. Max. fœdus in perpetuum percussit, & ille rursus in re no Neapolitano verum ipsum Regem l gitimumq; hæredem cõstituit, ac deni que multis magnisq; ornamentis & viriu n prærogatiuis adoptauit: vno illo in fœd ere addito, vt in Marchia Anchonitana ecuperanda ipsum quam maxime posset adiuuaret. Quod Alphonsus non solum libenter, verũ etiam præstiterat admod um studiose. Etenim vt ex pactis conuen tis obligatus non fuisset, vltro quidem erte profectus est in belli illius expeditio nẽ ipse, & gloriosum triũphum ex care ortauit. Sedi enim Apostolicæ militar , est hic & in cœlis triumphare. Incider t tum temporis perturbatus tota illa stat us, & Philippus Mediolanen. Dux ad m ortem vsque erat ægrotus. Qui de salute sua iam desperans, hære-

dem su-

dem suum Alphonsum fecit, & quem antea captiuum Mediolani detinuerat, tanto rursus præ aliis Italiæ regulis honore dignari minime dubitauit. Non solum enim in captiuis, sed adeo etiam in aduersariis virtus est amori, & quo excellentior etiam admirationi. Alphonsus quidem eam à Duce Mediolanen. oblatam sibi potiendarum fortunarum facultatem parui apud se fecit, & sine vllis codicillis gratificaturum illi omni re & tempore se facile & sancte promisit. Quod adeo etiam, vt pollicitus fuera, tpræstitit, & non pecudum more, qui tantum emolumenti causa, à quibus aliquis quid sperat diligit, sed candido & plane regio animo erga eum, à quo nihil commodi expectauerat, declarauit. Et interim alio conuersus, graue & difficillimum bellum contra Florentinos suscepit, & Plumbinũ effecit sibi tributariũ. Quod paulo post in Genuen. etiã experiri voluit, qui prçclare de Christiana Repub. alias meriti paulo ipsi restiterunt. Soliti fuerant illi quædam annuatim largiri ipsi munera: quæ cum

ille gloriabundus populo ostentare voluerat, desita sunt munera dari, & ille etiã vt de alienis imprudentius cœperat necessario gloriari. Multa .n. sunt molesta, sed vana potentiæ iactatio est molestissima. Quo eodem fere tempore Fridericus III. Imperatôr Romanorum exsoluendi voti causa Romam venit, & tota Italia peragrata Neapolim quoq; inuisit, quem Alphonsus cum Leonora eius coniuge propinqua sua ita percoluit, vt nullum non humanitatis & hospitalitatis suæ genus declarasse in eum diceretur. Vnius enim & alterius mensis spacio, non solum ipsum, sed totam eius familiam honorifice aluit, & muneribus dandis erga tantum Principem regium suum animum & munificum abunde ostendit, cum non solum liberalitatis laudem, sed religionis quoque & pietatis maximam passim & vbique declarasset. Nam idem quoque tanta in Deum Opt. Maximum fiducia fuerat, vt nihil vnquã aduersi pertimesceret, & instantia alicubi pericula aliquando vereretur. Ferunt toties maria

eum ſecure traieciſſe, victum inuictum animum perpetuo geſſiſſe, hoſtium claſſiariis imperaſſe, & miſſæ ſacrificium in ipſo terræ motu maximo intrepide audiuiſſe, adeo vt cũ alicubi ſacerdos ab altari ruinã veritus ſacro non peracto proripere ſe inciperet, eum à fuga retraxerit, & cor Regis in manu Dei eſſe affirmauerit ſatis animoſe atq; prudenter. Dantur enim multis, ſed Regibus imprimis intrepida corda præſcia futurorũ. Poſtremum quidem bellum contra Genuen. geſſit, & parum quo minus eos vinceret abfuit, cum ſubito morbo correptus tandem eſt extinctus, annos ſex & ſexaginta natus: Anno vero à partu Virginis mille quadringenteſimo quinquageſimo octauo, Princeps longiori vita & dignus memoria ſempiterna, quem facilius laudare quam æmulari fuerit. Nam præter quod pius & religioni apprime fuerat deditus, multis etiam & magnis aliis virtutibus diuinitus fuerat exornatus. Fauebat doctis & militaribus viris pariter, quos, cum ad præliandum veniebatur, bombar-

dis peti noluit; sed tantum, vt communia arma & gladii, quibus se vicissim illi tueri possent, contra eos valerent serio suis imperauit. Oratores Principum & ipsos quoque Principes ad se venientes splendidissime honorificentissimeque semper excepit. Domos & ædificia magnificentissima erexit. Supellectilem non solum argenteam, sed etiam auream immensam habuit, ex qua aliquando furem, nescio quod vas aureum surripientem, & digito ad os admoto, vt Rex taceret admonentem, neq; verbo, neque facto castigauit, & cur id fecisset quæsitus, furem nobilem & artificiosum aliquando dissimulanter ferendum respondit. Bibliothecam refertissimam, & infinitos doctos in aula sua aluit, inter quos Panormitanus, qui de dictis & factis Alphonsi Regis scripsit, vnus etiam fuit. Aula ipsius ingeniorum periclitandorum perpetua quædam officina; & omnis pudoris extitit domicilium. Multa etiam ipse præter aliorum Principum morem, & varia est commentatus. Senecam in linguam Hispanicam vertit.

Sacra Biblia quater & decies euoluit, & magni non ſolum Regis, ſed quaſi Anachoritæ exempla reliquit ſanctitatis. Nam Sacerdotes, ad ægros ſacram Euchariſtiam deferentes, in ardentiſſimo etiam ſole, detecto capite, pedibus vbique eſt comitatus, & magnus denique extitit eleemoſynarius, & nullo non loco tempore & occaſione ad imitationis exemplum aliis proponendus. In Regnum Arragoniæ & Siciliæ germanus ipſius frater Ioannes, in Neapolitanum ſucceſſit filius Ferdinandus, ex quadam fœmina Valentiana, cum adhuc iuuenis eſſet, forte ſuſceptus.

ALPHONSI EX ARRAGONIIS VLTIMI *Regis Vita.*

VNius quidem nominis & generis, ſed diſparibus moribus & ſucceſſib. Reges Alphonſi duo in Regno fuerunt Neapolitano. Nam non tantã virtutum laudẽ prior aliquando tulerat, quantum poſte-

rior nomini generiq; suo labem asperserat sempiternam. Erat is à Ferdinandi patrìs sui morte ab Alexandro Pont. Max. huius nominis tertio in regno Neapolitano confirmatus, cuius filio Guisio Sanciam suam filiam in matrimonium vicissim collocarat. Quæ res Carolo VIII. Galliarũ Regi, suspectum & inuisum ipsi reddiderat, & ad bellum regno Neapolitano inferendum ipsum maximopere excitarat. Solent enim Reges regnorum auspicari principia, bellorum occasionibus disquirendis. Auctor erat belli Lodouicus dictus Morus, Italiæ pestis, qui Gallorum Regẽ suapte tumultuum cupidum literis & internunciis in Arragonios animabat. Dederat quippe Alphonsus Neapolitanus Rex, viuente adhuc patre, Isabellam suam filiam in matrimonium Ioanni Galeacio, legitimo Mediolanen. Duci, cuius Lodouicus patruus principatum in se suosq; posteros occulto transferre peroptabat. Sunt enim aliquando tutores infidi alienorum custodes, cum res & occasiones frau-

datio-

dationũ offeruntur. Vt igitur Arragoniis Neapoli Regibus ſibi viã nocendi quoquo modo Lodouicus obſepiuiſſet, Galliarum Regẽ Mediolanum ad ſe vocauit, & ad pellendos Neapoli Arragonios Reges inflammauit. Diſplicuerat non ſolum Italis, ſed ipſis etiam Gallis Regis illa expeditio, ſed cum Lodouici preces ac perſuaſiones, tum vel rei ipſius gerendæ commoditas Regem iuuenem & gloriæ cupidum viciſſim accendebat. Nihil enim videtur facilius quam odioſos in aliquo regno dominos, cum externa vi, tum ſuorum inteſtino odio, ad ruinam inclinatos pepuliſſe. Iam quippe Ferdinandus Alphonſi pater non Regem ſed tyrannum Neapoli egerat, & interfectis tot Baronibus regni, á ſe poſteritateque ſua hominũ ordinumq; animos vehementer abalienarat. Quem ipſum Ferdinandum, nec Deum quidem Opt. Max. neque homines veritum, ima ſummis ferunt perpetuo miſcuiſſe, ex leui aliqua cauſa, nunc veneno, nunc gladio quam plurimos ſuſtuliſſe, & interemptorum ca-

pita, in abditis locis alicubi asseruata, ad terrorem aliis ostentasse, & si cuius fuerant non recte aliquis diuinasset, proprium illius amputasse. Quo magis talis ac tantæ tyrannidis recordatione patris Alphonsus etiam filius populis erat odiosissimus, & omnia in regno Neapolitano aduenientibus Gallis plenissima tempestatis. Facile enim populi suapte mobiles minimis temporum inclinationibus commouentur. Accedebat quod & ipsi Alexandro Pontifici non omnium optime cum Cardinalibus conueniebat Romæ, & qui Alexandro postea successit Iulius II. Pontifex in Gallias profectus, viam gerendi belli facilem proculdubio ostendebat. Alphonsus ergo hinc & inde tot difficultatibus circumuentus, Ferdinando filio cõmisit regnum, qui cum vix superuixisset annum, Fridericum eius fratrem Galli fecerunt sibi tributarium: & postremo tandem nobilissima Arragoniorum famlia funditus est extirpata, posteaquam octoginta plus minus annis

Neapoli durauisset. Quam ipsius ruinam ipsius etiam Ferdinandi senioris manes Chirurgo cuidam aulæ quodam die prædixerunt, & ipsi Arragonii effodiendo quodam thesauro, & non thesauro, sed libro in quo omnia omnium continebantur scelera inuento, has suas calamitates diuinitus prenunciatas habuerunt. Quod etiamnum inuentus liber, in ornamentis quibusdam Varsauien. Ecclesiæ acu Phrigia pictus, & ab Isabella Aragonia Reginæ Poloniæ Bonę filiæ quondam missus, cum hac inscriptione: Lectione moueat fletum, testificatur. Punit enim Deus scelera sceleribus cumulata, & ob ingratum in Deum animum ad ima ruunt, quæ fuerunt exaltata.

Comparatio.

DIci vix potest, quam fuerit bonus Rex Alphonsus Neapoleos primus, sed vt aliquando degenerant à patribus filii, Ferdinãdus eius nothus genitori suo multum fuit dissimilis. Ille Numen arden-

tissimum coluit; filius Iudæis vehementissime fauit. Alphonsus primus literatos fouit; Ferdinandus odio habuit: ille munera & præmia; hic supplicia irrogauit: adeo vt Alphonsus plus in sedecim annis, quam Ferdinandus in sex & triginta reportauerit laudis, cum ille virtute, filius nobilitaretur tyrannide. Qua supra quam credibile fuerat odiosus factus, filio Alphonso renunciauit regnum, & ille succcessorem habuit Fridericum Gallorum tributarium: qui vix vno circumacto anno ad ima præcipitati sunt, & dignum patris & aui factis exitum habuerunt. Discite mortales non tam spectari, quam esse à scienter regendo Reges, & illorum Psalmographi verborum perpetuo sitis memores: Quod redit in memoriam iniquitas patrum in conspectu Domini, & peccatum matris non aboletur.

IAGELLONIS PRIMI POLONIÆ *Regis Vita.*

ANtequam Vladislai Iagellonis Poloniæ Regis & Magni Lithuanorum Ducis & Apoſtoli ordiar Hiſtoriam; operæ pretium proculdubio fuerit, genus, originem, progreſſus, vitam, maioresq; ipſius, vt vere, ita & breuiter, percenſere. Erat quippe Gediminus eius auus ingentis vir ſpiritus, qui domino ſuo vi vel arte ſublato, in Magni poſt eum Ducatus Lithuaniæ poſſeſſionem aſtutia, quam beneuolentia ciuium magis peruenit. Cuius filius Olgerdus ex Maria Ruſſa Ducis Teuernen. filia procreatus, cum duodecim filios, & in his Iagellonem habuiſſet, non modo quidem ille ſolus in paternum, ſed adeo etiam ad Regni Poloniæ præ multis & gratioſis competitoribus aliis eucctus eſt dominatum. Etenim cum poſt Ludouicum, ex Regum Galliæ ſtirpe Hungariæ

Poloniæque pariter Rege, res ad interregnũ in Polonia deuenisset; cum aliis tum maxime Guilhelmo Austriaco regni cõpetitore posthabito; Regem & dominum Iagellonem Lithuanum Poloni sibi potissimum elegerunt. Quæ res omnes quidem Christianos populos, sed maxime Germanos, quod Idololatram Christiano & illustri Principi prætulissent, magnopere offendebat. Et nec adeo periculo & difficultate quadam caritura res videbatur; propterea quod Heduigis Regis filia, quam sibi patre adhuc viuente Reginam Poloni elegerant, Ducentis aureũ nummûm interpositis millibus desponsari Guilhelmo debuerat, & toto animo in eum propendebat. Verum cum Iagello magnus Lithuanorum Dux, quibuscum Poloni grauia & diuturna bella gesserant, Christi Optim. Max. religionẽ cum tota Lithuana gente atque natione se suscepturum; eandemque Poloniæ regno in perpetuum adiuncturum, ac denique & ducenta aureûm nummûm millia vltro ipse soluturum promisisset, factum est

tan-

tandem, vt eius quam aliorum potissima ratione habita, & Heduigi Ludouici filiæ, cuius maritus esse debuerat, publica dignitate vtilitaque ostensa, Regni Poloniæ gubernaculis potiretur. Permouebat hominum mentes religionis Christianæ per eam rem & occasionem propagatio, Imperiique Polonici accessio, quæ ex hoste Patronum, ex idolorum cultore suum Principem habitura credebatur. Annus, quo hæc gerebantur, supra tercentesimum erat sextus & octogesimus. Quo Guilhelmo Austriaco Cracouia non satis cōtento exeunte, paulo post Iagello mense Februario pactionibus vtrinque firmatis in eam superuenit. Nec mora, cum Borisso & Suidrigellone germanis fratribus, & Vitoudo patruele, à Bodzætta Gnesnen. Archiepiscopo sacro fonte ablutus; & Vladislai nomine in Baptismo accepto, Heduigi Reginæ solenni ritu copulatur, acquarto post die, more & instituto maiorum, refragante nemine, diademate insignitur. Pro conditionibus vero, quibus in regem electus fuerat, Vitoudus & Mi-

chaël Dux Zaslauien. fide & iureiurando obligari se non inuiti patiuntur. Regnandi enim causa haud ita difficulter pax pactionesq; coalescunt. Quæ dum ita Cracouiæ agebantur, Theutonici ordinis Prussiæ & Liuoniæ Crucigeri, qui Polonico in solo antiquitus consederant, siue odio gentis & Andreæ Iagellonis fratris consilio moti, siue Germanici nominis & sanguinis Principis iniuria offensi, siue veteri suo more & instituto aliena infestandi excitati; irruptione in Lithuaniam facta, vi & armis maximopere eam affligebant. Quam etiam ipsam eodem illo tempore, quasi ex composito, Suentoslaus Russorum Smolenscen. Dux eis Orszam & Vitepscum vehementer infestabant. Cuius rei gratia Iagello, Vladislaus Rex dictus, Suidrigellonē & Vitoudum cum Polonis Lithuanisq; voluntariis in Lithuaniam misit, & ad solam aduentantis Regis exercitus famam, Crucigeris excedentibus, eandem tranquillauit. Quibus progressibus factis, partim eiecto, partim etiam funditus extirpato

Andreæ

Andreæ exercitu, qui eorum motuum credebatur præſtitiſſe ſe auctorem; itum eſt Mecislauiam, & Suentoslaus qui ex alia parte Lithuaniæ erat adortus crudeliſſime eſt interfectus, ac deniq; & Andreas ipſe Regis inaugurati frater à Polonis captus, & Chæcinen. in arcem in Poloniam deductus, fædo & triennali carcere diuinitus eſt punitus. Solet enim non deeſſe ſuis Deus Opt. Max. ſimulac incaluerit religione eorū animus, antea eius expers, aut ab ea abalienatus. Quod in Vladislao, quem poſtea hoc nomine ſemper appellabimus, Rege fuit vidiſſe, & tam domi quam foris cognouiſſe. Nec enim multo ab inauguratione poſt ex minori in maiorem iuit ille Poloniam, interregni tempore licentia hominum & veluti ſeditione quadam agitatam. Erat quippe Nalæciorum & Grimaliorum potens & infeſta in ea factio, quæ nō tantū aduerſariis reſiſtendo, ſed patrimoniis Eccleſiæ vim & iniurias inferendo, magnopere graſſabatur. Hanc nulla quidem interpoſita mora Rex compeſcuit, & quæ

ſuperiorum temporum licentia dilapſa fluxerant, legibus & pœnis veteribus poſſeſſoribus reſtitutis bonis ſeueriſſime colligauit. Quorum motuum Dux & auctor Bartholomeus quidam Cozmiticus, qui prædas agebat, & Ioannes Venerius falſorum iudiciorum criminis reus potiſſimi dicebantur, propterea vt durius aliquid in eos ſtatuere potuiſſet, non niſi tamen in vincula coniectos caſtigauit: vt in illis primordiis gubernaculorum & iuſtus, & benignus pariter haberetur. Magna enim & neceſſaria ſeueritatis, ſed non minor in Rege laus eſt moderationis. His ad eum modum in Polonia compoſitis, quibus non modicum temporis fuerat datum, itum à Rege rurſus in Lithuaniam eſt, ac pro Quadragenario ieiunio Vilnæ conuentus celebratus. In eo quidem itinere magno magnorumque hominum variarum gentium Rex ſeptus fuerat comitatu. Nam ad tantæ rei admirationem, vbi gentes & regiones ad Chriſtum conuerti debuerant, non ſolum Poloni & Lithuani, ſed & alii populi vndiquaque

concurrebant. Pullulare iam & hæreses in Bohemia tum incœperant; nec tantum incrementum in Aquilone religionis, Polonis auctoribus, futurum Germani eorũ æmuli vnquam sperabant. Actum autem in eo conuentu Vladislao Rege auctore de plantanda Catholica in Lithuania fide, & idolorum cultu penitus abolendo memoratur: vbi Rex non modo boni Principis, sed & Apostoli munus suscepit. Nam non solum proponendis vulgo præmiis, sed docendis etiam, & voce ac oratione monendis erudiendisque populis, tanta eius occalluerat patientia; vt nemo hac in parte Rege superior vix similis aliquis spectaretur. Dura porro & inexorabilis admodum veteri cultu relinquendo extiterat multitudo, vtpote quæ ignẽ pro Deo colere, fulmini diuinos honores deferre, lucos & excelsas arbores in syluis sacrosanctas habere antiquitus cõsueuerat; quas vi, ferro, aut flamma, aut denique vlla alia violare ratione, nec fas, neq; tutum reebatur. Verum enimuero, cum iussu & auctoritate Regia, illa partim op-

preſſa, partim exſciſſa deuaſtataq; extitiſſent, nec cuiuſquã aut interitus aut læſiô exinde ſequeretur; tũ vero ſenſim effecti Lithuani molliores, Regio mandato & auctoritati cedere cœperunt, & tandem etiam Chriſto nomen dare, & Catholicã religionem certatim ſuſcipere minime dubitarunt. Vidiſſes quidem rem prorſus raram & admirabilem; populis impio cultui deditis, Chriſtianæ religioni, mutato ſubito more & conſuetudine, initiandis. Nobilioribus autem tantum vt baptizarentur ſinguli, ille de more tribuebatur honos. Cæteroquin alii in turmas diuiſi, cum nunc rubeũ hi, viridem illi, & diuerſi diuerſorũ colorum pannos, quaſi quædam inuitamẽta à Rege accepiſſent, quibuſdam Stanislai, quibuſdam Andreæ, aliis nomina & appellationes aliæ, à ſacerdotibus aqua eos perfundentibus imponebãtur. De dignitatis excellentiâ, inſignibuſque armorum, nulla tum fuerat concertatio: nec magnus pecuniæ vſus in Lithuania, ſed vili omnia conſtabant precio; & à Regio iuſſu & auctorita-

te, Polonorumq; consilio, & administratione cuncta pendebant. Quorum etiam ductu & auspiciis, Vilnæ Basilica condita, pluraque alia per Lithuaniam templa & Parochiæ erectæ memorantur. Quarum omnium supellex ex Polonia aduecta reginæ constitit liberalitate: Quæ tam diuini cultus extiterat amans, vt vix alia amantior potuisset reperiri. Multum enim est, vbi coniunx mariti, & ille vicissim æmulari pietatem suæ cœperit vxoris. Eius quidem imago cum Iagello baptizaretur, in altari circa eius sepulturam extat; quæ tamen paulo post ex Lithuania in Poloniam remissa. Quod reliquum Lithuaniæ fuerat, docendo & erudiendo plebeculam Vladislaus peragrauit; misso ad Pont. Max. de more legato Dobrogosto Poznanien. Episcopo, qui ipsius nomine obedientiam sedi Apostolicæ præstitisset; & quomodo regni se haberent res, fecisset eum certiorem. Frustra enim domi geruntur res, nisi etiam foris exteris gentibus & Principibus innotescant. Ab

eo Lithuaniæ conuentu Vitepskum Polockumque se Vladislaus cõtulit, & sumpto de seditiosis quibusdam supplicio, eos Lithuaniæ tractus tranquillauit. Inde Vilnam reuersus, Skirgellonem fratrem in locum suum apud Lithuanos constituit, ea lege lata; Ne Catholicis & Russis facultas vlla esset matrimonii inter se contrahendi, nisi forte vnus & alter ritibus Catholicorum suscipiendis sacris cõcordarent. Disparia enim dogmata faciunt vel in coniugatis disparitatem animorum. Et quia Duces Masouiæ, antiquissimo Regum Poloniæ orti sanguine, pro re & tempore ad regnum etiam aspirabant, hos sibi affinitate coniungendos ratus. Zemouito Masouiorum Duci Alexandram sororem in matrimonium dedit, & magna pompa celebratis eius in Lithuania nuptiis, & Radomien. tractu dotis nomine promisso in Poloniam reuerti festinauit. Per Russiam tum facere iter forte placuerat, vbi Petrum Valachiæ Palatinum Leopolim cum procetibus Valachiæ ad se venientem solenni

ceremonia in fidem & clientelam regni accepit, & omnes eas oras regionesque perlustrauit. Viderat autem Melstinium quendam magno opere arcem alicubi extruentem; quem cum venientem ad se conspexisset; Cui bono, inquit, hæc tua mollicio. An si aliqua necessitas ingruerit ego defensionis tuæ vicem non præstitero? Et vere: Munitiones enim priuatorum, nisi magnis & exaggeratis fulciantur opibus, magis sunt illecebræ seditionum, quam fræna præpotentis hostis obsidionis vehementis. Ab Vladislai porro Regis ex Lithuania abitu denuo noui motus & seditiones extiterunt, orto inter Suidrigellonem, & Vitoudum ex æmulatione dissidio: cum ille Germanum Regis fratrem se esse agnosceret, Vitoudus irrequieto animo Principis superiorem pati renueret, eiusque rei causa in Masouiam ad sororis suæ maritum discederet, Grodna Brestaque arcibus suis præsidio imposito præmunitis. Solent enim turbulenti non tam suæ quam alienæ fiducia multa periclitari potentiæ, quæ paulo post

non respondente conatibus fortuna, perfacile euanescunt. Iam enim Vitoudus iis in quibus multum spei posuerat auxiliis in Masouia nõ repertis, mutato consilio, & ad Crucigeros in Prussiam iuit, ac nouam bellorum, seu quandam materiam iis suggessit. Sperabant se ij Lithuania & Samagitia per occasiones potita & Vitoudi molitiones illas facilius superaturos. Itaque cum aliquanto humanius principio eum habuissent, conspiratione cum Liuonum Crucigeris facta, Lithuaniam adorti sunt, & vt in duas diuideretur partes, quarum vna Skirgellonem, Vitoudum altera sequebatur, paruo negotio effecerunt. Quo nomine Rex Vladislaus veritus, ne forte Vitoudus, ob Skirgellonis ignauiam, Metropoli Lithuaniæ Vilna facile potiretur, Nicolaum Moschorouium, magni tum nominis in Polonia bellatorem, cum non postrema Polonorum militum manu, bellicorumque tormentorum apparatu, in Lithuaniam misit, & pro incendio extinguendo nihil minus indor-

miuit. Erant tum temporis bellicæ illæ machinæ vel instrumenta dicta, noua per Europam inuentio, vt pote quæ fere eodem seculo cum Typis excogitata, auctoribus etiam ipsis, qui alios offendere iis debuerant, formidabilis videbatur. Vnde & Venetos, qui moderationem animi quandã vel in ipso ardore belli præsetulerunt, semper ferunt proclamare aliquando iussisse, Quod tormenta bellica essent explodenda, vt vel hostes ipsi aut ad deditionem, aut ad cautionem excitarentur. Vt enim siue fraus, siue virtus in hostem eadem fuerit, pulchrum vtique est, rationem habuisse honestatis. Quod vel in Romanorum patuit etiam exemplo omnino memorando, qui Pyrrhum veneno, etiamsi potuissent, nolebant videri extinxisse: Sed nos ad nostræ historiolæ curriculum, à qua digressi sumus, potius reuertamur. Vitoudus quidem, vel quod Crucigerorum consilia haberet apud se suspectissima, vel quod ita natura perpetuo esse mobilis & inconstans videbatur, Vladislaum Regem

ſibi clam reconciliauit, & rurſus in Lithuaniam à Crucigeris profugit, cum in redeundo arces eorum quaſdam tanquã ſocius non hoſtis admiſſus incendiſſet. Gnara enim hominum mens, quid de ea futurum ſit poſtridie, nihil non hoſtibus facit, quod poteſt hodie impotenter. Nam cum reconciliatio illa inter ipſum & Regem non diu durauiſſet, & verba ſibi à Rege dari de concedenda Lithuania, quam tantopere ambiebat, & Rex pro tempore eius potiundæ ſpem illi faciebat, animaduertiſſet; conſilium init Vilnæ ipſius capiundæ. Quod cum mature patefactum fuiſſet, reconciliato ſibi per literas Crucigerorum animo, rurſus ad eos eſt profectus, & biennio amplius eorum auſpiciis contra Regem & patriam militauit. Sic nullum inſaniendi modum præceps & lubrica ſtatuit ambitio, qua auctores ad extremam ruinam ipſi tandem & non raro deducuntur. Affligebant hæc ſimileſque res regium vehementer animum: Sed & domi ſuborirentur noua quædam mala ſeu carcinomata, cum ipſi

tum & regno odiosa. Nam cum peregre abfuerat Rex, Dalenicius quidam Gneuosius Reginam sceleris cuiusdam ream fecit, & cum Guilhelmo Austriaco, secreto ad eam veniente, rem habuisse ipsam Regi renunciauit. Quare ille commotus Reginæ & Gneuosio diem dixit; & de ea diligenter inquirere non omnino dubitauit. Cui enim pepercit vnquam inuidia, quæ etiam regium ordinem ipsum, omnis inuidiæ expertem, & matronarum famam reddit suspectam? Feruntnamque illam ipsam Reginam, tantum abest vt adultera fuisset, etiam sanctissimã habitam extitisse, cum qua crucifixi Redemptoris nostri imaginem Cracouiæ, postquam flexis genibus preces ad Deum apud eam fudisset, fama est collocutam. Conuentu igitur Visliciæ decreto, & ad Regem pro more multis Senatoribus venientibus, re in disceptationem posita, Regina innocentiam suam marito iureiurando præstito satis probauit. Sic igitur Gneuosius falsi criminis reus, & ad nouum quoddam infamiæ genus, ob ma-

ledictum in Reginam iactum, est damnatus: quippe cum oportuerit hominem sub scamnum instar canis se abscondisse, & canino latratu publice edito eam ignominiæ notam nomini feminique suo perpetuam reliquisse. Ea nimirum est pœna scurrilis loquentiæ, cuius multos pœnituit sæpe, nunquam certe taciturnitatis. Ad eum modum amore coniugali inter Regem & Reginam in pristinum statum reuocato, & maledico punito, rursus in Lithuaniam Rex Vladislaus est profectus. Causa vel potissima tot tamque crebrarum fuerat profectionum studium, desideriumque publicæ tranquillitatis, vt videlicet Vitoudi molitiones & audacia frangerentur, & inter Russos, hoc autem est Græci ritus homines, & Lithuanos Catholicos contentiones sopirentur. Erant in Vitoudi potestate Bresta, & aliæ circumuicinæ arces quamplurimæ, è quibus præsidiarij eius milites proximiores oras prouinciasque Regias affligebant. Itaque primum Bresta capta, ad Grodnam quoque

castra sunt metata. Quæ quoniam Vitoudum non prȩteribant omnia, propterȩa cum Crucigeris opem laturus suis mox accurrit, & cis Nemenem flumen ex arcis obsessæ regione alterā, congesto ex terra tumulo, exædificauit: Verū tantum quidem aberat, vt obsessis ea re aliquid auxilii ferret, vt etiam eo & Crucigeris consilij auctoribus inspectantibus celerius arx in Regiorum veniret potestatem. Sæpe enim subtiles in bello inuentiones sunt instar aranearum telæ, quibus muscæ capiuntur; tandem vero vtique à bubonibus perrumpuntur. Eo igitur fuerat factum, quod mutato subito consilio, ferrea Catena nauibus per torrentem ad arcem deducta fuerit deligata; qua coniunctis continuatisque nauibus pontē extruere, vt suis opem ferre potuisset, Vitoudus cogitabat. Non erat hæc Lithuanorū, sed Germanorum qui ingeniū in nauib. habēt magis inuentio. Verū & huic à Polonis occursum est, qui prȩgrandes pinus siue pinastros in ripa succisas & in amnem præcipitatas secun-

do flumine ei operi impulerunt, adeo vt multæ nauiculę hominib. in iis fruſtra renitentib. mergerẹtur. Quod enim fecerit dextra vna, demoliri ſolet altera: & nemo magiſtrum infortunii ſe profiteatur futurum ſemper ſe eſſe victorem. Ex his quidem Germanis, qui in caſtris fuerant Crucigerorum, vnus ad regios profugit, nec dicto audiens ſuis eſſe voluit, qui vt potius flumini quam hoſtibus ſe committere voluiſſet, inclamabant. Magnum enim deſiderium eſt vitæ, & eius ſpe vel in media hoſtium tela aliquando ruimus. Quæ nec de Polonis concepta vllo aliquo modo fefellit eum opinio. Nam ab iis non barbarico more faſtuque exceptus & habitus, Crucigerorum conſilia quibus gnarus fuerat fidiſſime explicauit; vſque eo, vt cum Vitoudus cum ſuis Crucigeris de ſumma rei in deſperationem veniſſet, fugam etiam noctu adornare, & paucis conſciis clam ex caſtris proripere ſe minime dubitauerit. Nempe non ſemper audaciæ reſpondet exitus; & turbulento rũ aut pœnitudo, aut funeſtus fuerit exi-

tus, vel nonnunquam. A Grodnen. bello & deditione in Maiorem, quæ vulgo appellatur, itum est Poloniam, in qua Vencislaus Pomeraniæ & Stetinen. Dux ritu ceremoniaque solenni iureiurando præstito in fidem & clientelam regni, etiam contra ipsos Crucigeros vbi oporteret bellaturus, à rege est receptus. Quo eodem fere tempore Heduigis Regina Vladislai vxor alterum de Polonia exercitum forte collegerat, & arces ac munitiones, quæ à Silesiis tenebantur, fortiter recuperauerat. Oppignorauerat quippe eiusdem Reginæ aliquando issas pater, nec tamen vel accepta solutione reddere eas videbantur Silesii voluisse. Sic turbatis vicinorum rebus, insolescunt in eos plures etiam imbecilliores. Accedebat, quod eadem illa aduentante mox æstate, Iancaster Henrici Regis Anglorum filius, cum non exiguis Anglorum Francorumque copiis ad Crucigeros in Prussiam adnauigauerat; & per speciem olim Christianorum in Saracenos expeditionis contra Idololatras Lithuanos

mi-

militare velle se profitebatur. Sed animus non exercitus nobilitat bellatores. Iam quidem Crucigeri eius Iancastri aliorumq; auxiliis aucti, & per se ipsi nouandarum rerum tumultuumque cupidi, vt Vitoudum Regis Vladislai fratrem in Lithuaniæ principatũ, quem ille sibi deberi profitebatur, forte restituerent, tripartito agmine in eum profecti sunt: & ei rei ac occasioni contra Poloniæ Regem belli gerendi, nihil plane immorandum sibi esse putauerunt. Sed reuera nulla in Vitoudum Crucigerorum fuerat commiseratio, qui tantum hoc veluti colore prætenso illud vnicum quærebant, vt Lithuano regis fratre cõtra eum defenso, Lithuania in partes dissecta facilius potirẽtur. Inter enim duos insimul belligerãtes, cedunt tertio in prędã opinione plura & opulentiora. Ad Caunã igitur initio eo Crucigerorum confluxerunt copię, deinde ad Trocos, & mox ad ipsam itum est Vilnam. Ex qua exercitus Regius, animosus quam validus magis; obuiam hostibus factus, multos ex iis profligauit.

Sed cum nihilominus Arx inferior obſidione cingeretur, proditione ſuccenſa magnam Regiis inuſſit calamitatem: adeo vt cum & ipſe Skirgello frater regius forte ex incendio ſe ſubduceret, in eo tumultu captus, & ab his qui eũ non nouerant interfectus fuiſſe memoretur; prçter reliquam vi, ferro, flamã, abſumptã multitudinem, quæ quatuordecim millibus hominum forte conſtabat. Nihilominus tamen per Polonos Nicolao Moſcorouio duce, in eadem illa Vilna fortiter ſuperior tenuit ſe munitio, & cum per ſemeſtre ſtrenue ſe defendiſſet, hoſtes deſperata oppugnatione coëgit diſcedere. Qua re Vladislaus Rex permotus, afflictæ patriæ laturus auxilium, magnis comitatus copiis, Menſe Nouembre ex Polonia Vilnam venit; & nutantes ſuorum animos mirifice confirmauit. Nec tamen ibi diu moratus ære & ſubminiſtrato opportuno cõmeatu, Ioanneq; Oleſſinio in Nicolai Moſcorouii locum ſuffecto, in Poloniam eſt reuerſus, cum nullo

modo

modo Moscorouium in ea præfectura diutius retinere potuisset; qui partim Skirgellonis Regii fratris superbia offensus; partim ob mobilem incolarum fidē aliquid dignum laude se præstare non posse ratus, magnopere se excusabat. Prudentiæ enim est à longe aduentantem tēpestatem prospicere, & viribus suis nunquam nimium præfidere. Sed non ita facile Lithuanicæ res compositæ per Regem fuerant, vt rursus ineunte vere Vitoudus, spe quorundam proditionis illectus, maxime eas perturbauit. Ad cuius aduentantis cum exercitu nuncium, exusta prius, quam hostibus receptaculo fieret, vrbe, Gosnicius longius est egressus, & ex insidiis carpendis eius militibus egregiam suo Regi nauauit operam. Ne tamen in periculum se suosque coniiceret, intra munitionem postea cessit; & edita magna hostium strage, quid Vitoudus facere & moliri vellet, expectauit. Erat Vitoudo perardua Vilnæ oppugnatio. Nam & ob Skirgellonem amotum de deditione quæ futura erat desperare iam

cœperat, & defenſores artis obſtinatiores opinione ſuâ repererat: quæ omnia & ſingula conatus & conſilia eius retardabant. Ne tamē fruſtra videretur aduenisſe, Vilkomiriam & Nouogardiam, cum ſe reciperet, exuſſit; & Regium præſidium, quod illis munitionibus impoſitum fuerat, crudeliſſime interfecit. Atq; ad eum modum vna eadémq; æſtate geminatis incurſionibus infeſtauit Lithuaniã, vt Medincos & Velzanos exuſſiſſe, & Samagitiã totã hic & ibi magnis cladibus affeciſſe memoretur. Quo etiam non contentus, & Caunã vſque, quod à Regio tenebatur præſidio, profectus; in eius circuitu munitiones erexit tres, ex quibus ſimul cum Crucigeris identidem ei ſubuenientibus vicinas oras & regiones immaniſſime infeſtabat. Compertum namq; eſt, acriores eſſe ſuorum quam externorum impetus, vi & maleficio in bello exercendo. Quæ omnia Vladislai Regis animum, ob ſuorum gemitus, & incredibiles ſuſceptos & ſuſcipiendos ſumptus, magnopere cruciabant. Quibus malis vt vel quamprimum ali-

quam medicinam attulisset, Zemouiti Masouiorum Ducis filium Henricũ, qui nuper in defunctiEpiscopiPlocen.locum eligi debuerat, occulto quidem, sed maximis precibus sollicitabat, Vitoudum adire, & pacem inter se & ipsum, vel aliquà saltem ratione constituere vellet: ni faceret, inter vtrumque in deterius omnia indies prolapsum, & ipsum de Repub. præclare meritum iri. Extinctus tum temporis fuerat Videgundus hoc nomine Regis Vladislai frater germanus, & quidem nõ sine veneni à Vitoudo præbiti suspicione; quod mirum in modum Regi charus, & ipsi Vitoudo erat suspectus & odiosus. Quo facilior inter Regem & Vitoudum pacis extitit tractatio. Qua demum subsecuta, Henricus Masouius repudiato Episcopatu & sacris Ordinibus, iam antea susceptis, Zingalam Vitoudi filiam matrimonio sibi copulauit. Qui & ipse veneno etiam enectus est, vt constaret eos, qui sacris Ordinibus initiantur, & illos postea respuunt, nunquam diuinitus prosperari. Non enim sacra pro

propha-

prophanis missa facta, vllos vnquã bonos habuerunt successus. Verumenimuero Viroudus compositis cum Vladislao Rege rebus suis, vt erat irrequieto & ambitioso ingenio, Crucigeros & mercatores Germanos rursus infestare instituit: & quotquot capere potuit, Vilnã perductos carceribus mancipauit. Quem Gosnicius mandato Regio honorifice excepit, & mox etiam Vladislaus Rex ipse ex Polonia in Lithuaniam eius rei gratia est profectus. Ad cuius aduentantis famam, cum magno & numeroso comitatu ad Ostrouiũ vsq; Viroudus demisso vultu venit; & vicissim à Rege nullam non retulit humanitatis erga se significationẽ, adeo vt Rex in amplexus eius rueret, & cum Skirgellone fratrem reconciliaret, amotoq; Gosnicio in Rusos & Lithuanos summum imperium potestatemque ei largiretur. Annus, quo hæc gerebantur, supra ter centesimum tertius erat & nonagesimus, quo Lithuania fratrũ concordia recreata, nec tamen ab omni prorsus simultate & æmulatione inter eos facta, erat

libera, quæ sunt inter se fratrum perennes fontes simultatum; cū Suidrigello & Skirgello ægre ferrent, patruelem Suidrigellonem fratrem germanis anteferri. Quod etiam causa fuit, vt, cum minus animi & potentiæ habuisset, ad Crucigeros se conferret, & ad testatas cum eo Vitoudus inimicitias descenderet, vt vnum ex altero inter fratres dissidium facile exoritur. Nihil enim odio & iracundia est vehementius, sed inter proximiores maxime exardescit. Hac igitur occasione, & tranquillādæ simul Lithuaniæ causa, Rex & Regina rursus in Lithuaniam ex Polonia abierunt. Nec ita difficile inter illos fratres sopitæ sunt inimicitiæ, concessis Suidrigelloni à Vitoudo quibusdā arcib. & interim si quæ rursus inter eos offensiones extitissent, vt Reginæ arbitratu sopirentur. Quib. rebus, peractis, rursus in Poloniam Rex discessit, Skirgello autem, cum ferarum venationibus operam daret, à quodam Sacerdote Græci ritus Roxolano ad villā inuitatus, veneno est enectus;

& apud Kiouiam in Pieczary tumulatus. Quæ res Lithuanorum motus quodam modo etiam tranquillauit:à quibus Iagello liberior factus,cum coniuge ſua Heduige ad ornandam excolendamque Poloniam totum ſe conuertit; ac muris Cracouien. paulo altioribus erectis, præfectisque vigilum locupletatis, & nonnullis templis cœnobiisque conditis, regalem ſuam vbiq; declarauit liberalitatem. Nulla enim re quam ædificiis extruendis publicis,& adiuuandis bonis,Reges & regna magis inſigniuntur. Ad cuius etiam magnificentiæ Iagellonis famam ipſe Sigiſmundus, poſtea factus Cæſar, tum quidem Hungariæ Rex,in Poloniam forte aduenit; ſiue vt videri volebat, Heduigis Reginæ inuiſendi gratia, ſiue Hungarorum in officio retinendorũ cauſa, quæ iuſta Ludouici eorum Regis fuerat hæres, & illi ad res nouandas more ſuo perpetuo inclinabant. Tandiu enim Hungaria nouos ſemper appetebat principatus,quandiu pro vera illa & ſolida libertate, ex li-

centia non exorta eſt ſeruitus Hungarorum deteſtanda. Hic ergo Sigiſmundus Cæſar à Regina Heduigi Sandecię humaniter exceptus, & honorifice habitus, poſtquam de publicis & priuatis multa contuliſſet cum ea rebus, in Hungariam eſt reuerſus. Mox bellum inter Vladislaū Poloniæ Regem, & Vladislaum alterum Opolien. Ducem forte ortum, cum ille aliquam obedientiam Regibus Poloniæ debere ſe, ſuperbe & minaciter à Legatis Regiis monitus reſpondiſſet. Eius belli pauciſſimi pręter Regem, & quinque cōſcii erant Senatores, & quo molitio belli occultior fieret, & minus ſuſpitionis Opolien. iniiceretur, iuſſus eſt Chriſtinus Caſtellanus Sendomirien. cum non contęmnenda exercitus parte, qui ex frequentiſſima toto regno conſtabat nobilitate, Dobrinum verſus proficiſci. Interim Rex ipſe paternam eius aggreſſus ditionem, Opolium & circumuicinum agrum longe lateque depopulatur. Quod cauſæ fuit, vt viciſſim Opolien. à Venceſlao Bohemorum Rege auxilium peteret,

quo

quo propter fœdus, quod paulo ante cum Polonis Bohemus pepigerat, non obtento, aliam rurſus gerendi belli ingreditur rationem, & Duce Oleſnicen. aliisque deprecatoribus vſus, pacem ab Vladislao, ſed hac nimirum impetrat conditione, vt mercatoribus Cracouien. quos Vratislauiam proficiſcen. dux excuſſerat, facultates ablatas reſtitueret. Rex vero Vladislaus Lublineciam, Strzelce, & alia oppida ſub ipſo capta, lege belli poſſideret, quæ Spytkoni Melſtinio conceſſit Rex poſſidenda. Ille autem poſtea Ceſſinen. Duci mille marcis, (vt tum ferebant modicum æs tempora) forte ea oppignorauit. Ferunt hoc eodem illo anno Sigiſmundum, iam Cæſarem factum, & Hungariæ Regem contra Turcas ad Nicopolim infeliciter dimicauiſſe; & Petrum illum Nigrum Zawiſza dictum, magnum Polonicæ nationis perdidiſſe cum exercitu bellatorem; cum fugiente ex prælio Cæſare, & fruſtra vt eum comitaretur inclamante, parua quadam conſcenſa nauicula, Con-

ſtantinopolim vſque Danubio deferretur. Negabat Zavvilzius deſertis ſociis, honorificum eſſe & videri, & vincere, & ſalutem pariter fuga quærere voluiſſe, & potius vndis, quam ſociis fortibus ſe commiſiſſe. A qua Sigiſmundi clade Vladus Beſarabiæ Palatinus, in Vladiſlai Poloniæ Regis fidem & clientelam, & Reginæ eius coniugis, tanquam veræ Hungariæ Regni hæredis, cum ditione ſua vniuerſa totum ſe comendauit. Cum memoria teneret, quanta eius fuerit, vel apud Turcas etiam ipſos auctoritas; cui certas arces in Bulgaria Hungaris ademptas, vel ad ſolam minacem ipſius legationem Amurates Turcarum dominus reſtituiſſet. Plus enim interdum valent armatæ Regum preces, quam imbellium Principum vel ad raucedinem increpationes. Per eadem autem illa tempora Vladislaus Rex Cruciferos, Pruſſiæ fœdere, ſecum paulo ante inito, temere violato, Dobrinum infeſtis armis petiuiſſe, apud omnes omnium nominum Principes & ordines grauiſſime

quere-

querebatur. Qua de causa bello etiam ipsos aggredi, & vim vi repellere cogitabat: sed à Proceribus identidem ne faceret monitus, seipsum quasi vincere prius non dubitauit. Erat totius Germaniæ, quæ non defutura Crucigeris fuerat, formidabilis, potentia: & omnia prius consilio tentare magis placuerat, quam bello aperto aut dimicatione. Re igitur in disceptionem posita, cum maxima ordinũ pars quietiora sequeretur consilia, iussum est comitia Vladislauiæ indicere, in quibus de rebus Prussicis consultaret. Ac Reginam quidem cum Crucigeris tractationi pacis solã adesse, abesse vero Regẽ ordinibus placuit: ne forte ipse Rex acceptarum toties iniuriarum dolore motus, & ad iracundiam celeriter prouocatus, infecta quam facta omnia potius reddidisset. Solent enim Reges excandescentiæ suæ non facile pati leges, & qui factis irritantur, verbis etiam vix fiunt moderatiores. Sed neq; hac ipsa omnino ratione Crucigeris potuit esse satisfactũ: qui vnam ex alia moram nectere, &

friuolis responsionibus, tantũ vt Dobrini possessionẽ diuturnitate temporis cõfirmassent, Polonos videbantur velle irretire. Qui enim aut sibi iustitięq; suæ parum fidunt, aut vero alienis rebus insidias struunt; cautis pactionibus, quam candidis & apertis tractationibus magis semper delectãtur. Quare ab vna illa imbelli quidem, sed æquissima gubernatrice rerũ Regina liberius reprehensi Crucigeri ex cõuentu illo discesserũt, & q; moris eorum fuerat, ad maleficia & iniurias tam Poloniæ quã Lithuaniæ faciendas protinus confugerunt. Quod patienter quidem aliquandiu Rex Vladislaus tulit; & propter Vitoudi copias, quas contra Tartaros in expeditionem duxerat, prudenter dissimulauit. Eodem quippe aut paulo post modum interiecto tempore vnam ex Tartaris tribum Ordam dictam armis subactam Vitoudus in Lithuaniam adduxerat, quę etiamnum hodie apud Vilnam Vacen. appellatur, & qua ipsa dulcedine victoriæ inescatus, maiorem adhuc contra Tamerlanem illum, cuius exercitus

decies centenis conſtabat militum millibus, aggreſſus eſt expeditionem: ſed non peræque poſteriores primis conatus ſemper reſponderunt. Nam cum Rege & Regina diſſuadentibus ad Kiouiã recenſuiſſet Vitoudus exercitum, ac multos Generoſos & illuſtres genere Polonos in comitatu habuiſſet; tandem ab Ediga eius Præfecto crudeliſſime eſt profligatus; eo quidem euentu vt ipſe fuga ſalutem quærere, reliqui omnes præter paucos occiſi memorentur. Inter quos Oſtrorogius, & Schamotulius, & Glouacius, de Liermceæ, à quo Goſtomſcii, & ipſe denique fuit Melſtinius: qui primum quidem mire prælium ſuis diſſuaſerat, ſed cum omnia peſſum ruere vidiſſet, ne ſolus tantæ cladi ſupereſſet, inter confertiſſimos hoſtes equo illatus extremum ſpiritum pro patria edere minime dubitauit. Quam victoriam Tartari longius proſequuti, Luſcum vſque omnia depopulantes peruenerunt. Iterum vero Sigiſmundus Rex in Poloniam, & in ipſam adeo aduenit Cracouiam, clade

Nicopolien. Hungarorum animis vehemẽter à se abalienatis. Quo facilior Vladislao Regi in sedecim annos cũ Hungaria fœderis facta fuerat pactio. Et Heduigis Regina Bonifaciam filiam enixa non modo Ordinum, sed hominum omnium animos mirifice recreauit. Quæ tamen lætitia nec ipsi, nec Polonis fuerat diuturna; cum paulo post à partu filiæ diem extremum obiisset. Regina pietate & prudentia plane incomparabili, vt pote quæ singulari castitate vitæ, & in egenos præstabat beneficentia, Collegiis porro Pragæ, & Cracouiæ, ad vsum iuuentutis locupletandis maxime commendabatur. Et quam aliquando à Christi Opt. Maxim. in templo Cracouiæ imagine, in maximis angoribus ob mariti absentiam constitutam, responsa memorant accepisse. A cuius morte Vladislaus Rex dolore mœstitiaq; confectus, cum de retinẽdo regno addubitare incepisset, prius se eo abdicare, & in Lithuaniam suam re uerti, quam à Polonis ex eo pelleretur, habebat quodam modo con-

ſtitutum. Sed hæc ſecum, vt fit, animo reuoluentem eorunde m Polonorum egregia fides, & in ſuos Reges obſeruantia, prçclare confirmauit: modo iuriſiurandi ſui memor, libertatem Polonorum ſartam tectamq; conſeruaret. Cui quoniam Regina defuncta auctor fuerat, vt ſi ad ſecundas nuptias conuolare voluiſſet, nō aliam quam Annam Comitis Ciliæ filiam acciperet, propterea ex conſilio Ordinum id etiam fecit, & inſequentis anni menſe Iulio Cracouiæ cū ea ſolennes nuptias celebrauit. Interim tamen in Lithuaniam excurrerat, vt cum Vitoudo de Polonia cum Lithuania vnienda conſilia communicaſſet. Nihil enim habebat ea ipſa aut prius aut antiquius: & mox ad Academiam Cracouien. ex teſtamento Reginæ locupletandam totus conuerſus, quantum in eo fuit, omnia commoda & ornamenta ipſius ſedulo procurauit. Florens tum & beata dici poterat Polonia, hoc tali ac tanto Rege, ex idololatra pio & religioſo effecto, & ſecus quidem alia regna & prouin-

ciæ in orbe Christiano constituta spe-
ctabantur. Nam apud Germanos & Po-
lonorum consanguineos Bohemos Ven-
ceslaus Cæsar homo rebus præerat nihi-
li: qui & Pragæ à Bohemis captus, & po-
stremo à gubernaculis Imperii amotus,
nihil aliud dixisse, quam Pluris se dolium
vini rubri Rhenani, quã procurationem
totius Germaniæ facere, memoratur.
Ad cuius fraternum regnum cum Si-
gismundus, postea Cæsar factus, secre-
to aspiraret, Misniæ Marchionem & Mo-
rauos contra eum concitauit. Quo
parum abfuit, vt & ipse Hungarico etiam
regno non priuaretur. Solet enim, vt
plerumque fit, accidere, vt quam alteri
foueam struxeris, in eam ipse illabâre.
Ab Hungaris quidem cum aliquando
captus & tantum non iugulatus extitis-
set, quanta Poloni Regis in se iuuando
fuerit cõstantia, potuit proculdubio per-
spexisse. Vnde etiã Hungari conscientia
sceleris moti, ne vna gens contra alte-
ram, auxilio sibi pro Regib. esset, aliquãdo
postularũt. Sed nos ad nostra reuertamur.

Per

Per id nempe tempus Vitoudus cum Smolensciis, qui ab eo defecerant, bello gesto, Polonorum auxiliis adiutus, eos ad officium facile reuocauit. Nec multo etiam post contra Crucigeros, quos Suidrigello instigabat frater, arma sumpsit: ea quidem ratione, vt non tam aperto bello, quam carptim, cum forte domos redirent, infestare eos consuesset. Erat enim Vitoudus callido & versipelli Princeps ingenio: nec solum hostibus, sed etiam Vladislao Regi aliisque fratribus facessebat perpetuo negotium. Quo fiebat, vt vicissim à Suidrigellone fratre, qui ad Crucigeros profugerat, & voluntarium quasi exilium susceperat, vehemẽter infestaretur: & Lithuania ac Samogitia identidẽ affligeretur. Cui postremo rei Rex Vladislaus occurrendum ratus exolutis pro Suidrigellone magnis debitis, ab illo exilio cum reuocauerit, & ad tollendam omnium inter fratres dissidiorũ ansam Podoliã magno ære redemptam ipsi assignauerit possidendã. Sed nec eo ipso quidẽ contentus

fuit Suidrigello, vnde postea cum Crucigeris per multos menses secuta est pacificatio; & à Magistro Crucigerorum Toruniam Rex inuitatus, vbi equestris prælii simulachrum ipsi à Crucigeris est editum, non minori hospitum quam & edentium voluptate. Verumenimuero dum vrbis mœnia obequitando contemplatur, à vili quadam muliercula sordibus culinæ, siue illud casu, siue de industria acciderat, perfunditur; & fæmina ad capitis supplicium condemnatur. Cui tamen magnanimus Rex parsum esse voluit, & vltro, ne de ea supplicium sumeretur, Crucigeros eorumq; Magistratus postulauit. Vt enim apum, sic hominum etiam Reges par est aculeo caruisse, & placabilitatis quam effundendi humani sanguinis cupiditatis exempla potius reliquisse. Ex Prussia in maiorem itum est Poloniã, in qua certis quibusdã particularib. conuentib. nouo primũ exemplo celebratis, Corcinũ in minori quoq; Polonia tandẽ peruenit. Ac tantum quidem totius regni celebrantis effecit comitiis, vt ad Dobri

num redimendum omnium Ordinum ſcitu & voluntate concederetur ipſi contributio. Quæ modicum quid tum temporis Reip. commodi, nunc quidem recte exacta & fideliter diſpenſata pręſtare poteſt multũ emolumenti. Quanquã etiam tum temporis incultum & ſubagreſte regnum, nunc cultiſſimum & florentiſſimum liceat contemplari. Iam vero, vt ſupra etiam diximus, cum Venceslaus Bohemiæ quidam Rex, per contumeliam vocis ignauus vulgo vocitatus, magnam ipſi ſpem Sileſiæ reſtituendæ, tantum vt ſimul alicubi congrederentur, ipſi inieciſſet, profectus eſt Vladislaus Rex ad eum Vratislauiam, ſex millibus equitũ ſplendidiſſime ornatorum comitatus; & antequam eo ipſe veniſſet Zbigneum de Brzezie ſuum præmiſerat Marſchalcum cum ſexcentis equitibus. Quem Regem ipſum Venceslaus ſuſpicatus, extra vrbem longius progreſſus excepit quam maxime reuerenter. Mox vero Rege ipſo conſpecto adhuc cum maiori veneratione & admiratione equo deſiliens ſalutauit. Solent

L enim

enim cœcutientib. duplo omnia tanquã in speculo videri maiora, & sibi diffidentibus etiam ima & minutula celsiora. Hinc octiduo in tractationibus consumpto, parum abfuit, quo in restituendæ Silesiæ à Bohemo spes facta rem ipsam etiam sortiretur. Nisi forte Ioannes Smeritius magnæ tum inter Bohemos auctoritatis dissuasisset, & res alioqui etiam indigna Polonis visa fuerat, vt eius beneficii loco, ex pacto quadringẽtis hastatis militare Bohemo debuissent. Maior enim quam commodi semper fit ratio dignitatis. Sed dum hæc ita in Polonia fiunt, Cruciegeri veteri suo vicina infestãdi inhęrentes instituto, magnis itineribus Masouiã nihil eiusmodi subuerẽtem aggressi, Ducem etiam Masouię ipsum, Ioannem Cirnensem tunc nuncupatum, captiuum faciunt; & cruribus sub equum colligatis in Prussiam ducunt, nec prius dimittunt, quam à Rege violati fœderis admonerentur. Magnus ille, sed non nouus aut peregrinus Crucigerorum fuerat ausus: in quo tantum quidem abest, vt maioribus

bus ſceleribus ſeipſos poſtea continuiſſent, quod etiam inſolentiã inſolentia cumulantes, ne Rex Poloniæ inſcriptionibus & ſigillis ſuis Pomeraniæ titulo vteretur, ſuperbe poſtularũt. Quorum ingentem illũ ſpiritum Suidrigello relicto, ſub præſidio Podoliæ ad eos affugiens ſpe Lithuaniæ eorum ope potiundæ confirmauit. Vitoudus vero Samogitiæ deditione, quæ Cruciferorum per eoſdem impotentes illud in ſe excuſſerat imperium, liberior ab eorum incurſionibus factus, primus omnium qui cum eo bellaſſet in Moſchum arma tulit, Anno ſupra milleſimum à Chriſto nato quadringenteſimo ſexto. Erant tum Moſchi gens Ruſſorum ignobilis, & vel apud exteras gentes & nationes parum nota. Quæ partim finitimarum gentium acceſſione, partim vi & fraude multarum occupatarum vrbium & regionum in eam excreuit potentiam, vt nunc etiam potentiſſimis principibus euaſerit formidabilis: quã non tam iuſto & moderato imperio,

quam innumerabilium equitum copiis, & maximis antiquitus collectis thesauris; ac denique Cazaniis & Astracaniis Scytis subactis; & Turcicis exercitibus contra se elusis, per orbem terrarum videas celebrari. Horum igitur Principem, Basilium tum temporis dictum, Vitoudus cum aggrederetur, & paruos initio progressus, ob immensam locorum distantiā viarumq́, difficultatem, fecisset: tandem proxime insequenti anno Zbignei de Brzezie Poloni virtute & bellandi experientia adiutus, & bombardis maioribus, quorum adhuc vestigia in media extant Moschouia, instructus; ad pacem petendam adegit: & supplicē sibi apud quendam monticulum (qui nunc etiam supplex monticulus penes vrbem ipsam Moschouiam dicitur) factum sibi posterisque suis tanquam quendā perpetuum clientem obligauit. Verum cum Vitoudus insano mulieris amore, exercitu relicto, à victoria opinione multorum celerius se recepisset; & per inuia ac deserta loca omni comeatu destitutum reliquisset,

accurrentibus hinc inde Moſchis, Scytis auxilio, non admodum magnum ex eo triumpho nomen vſquequaque reportauit. Non enim vulgus hominum tantũ, ſed conſilia euentis perponderant ſæpe etiam ſapientes. Quo etiam animoſius Cruçigeri contra eum pugnarunt, & nouas bellorum cauſas & occaſiones quæſierunt. Exaduerſus quidem Vladislaus Poloniç Rex, pacis quam belli amantior, nihil relinquebat intentatum, quo Crucigeros, vel acerrimos nominis & generis ſui hoſtes placare, & ſibi reconciliare potuiſſet. Itaque coacto denuo apud Caunã conuentu, cum Iugingo Cruçigerorum Magiſtro ad colloquium venit, & vt à molitione imminentis belli omni ratione eum abſtraxiſſet, quantum in eo fuit procurauit; Sed ille ex aliena manſuetudine & lenitate, vel eo etiã ferocior ſuperbiorque factus, bellum, quod iam pridẽ contra Polonos meditabatur, vel hac ipſa occaſione eſt exorſus; ſimulacq; in Poloniã Vladislaus redierat Rex, viginti naues frumento onuſtas, è Cuiauien. horreis,

ſecundo flumine Viſtula ad mare miſit; vt aduerſo Nemne in Lithuaniam perductæ illius gentis & nationis, cuius Princeps & Apoſtolus habebatur, egeſtati, qua maxime laborabat, ſubuenisſet. Quas quidem Cruciger i naues præter fas & æquum depræda runt; & quod arma barbaris auxilio contra eos impoſita iis fuerant cauſati, legatis Polonicis viris ampliſſimis cum quadam irriſione & contemptu reſponderunt. Nec multo etiam poſt, apud Regnetam mercatores Lithuanicos excuſſerunt. Hac igitur geminata victoria Vitoudus prius, mox quoque Rex ipſe excitatus, quid in animo haberet, per Legatos ipſis declarauit. Quos illi non expectantes, Obernicos etiam ſuos ad Regem miſerunt; & de capta à Vitoudo Samogitia, cæſisque præſidiis grauiſſime querebantur: ac illud vnum maxime poſtulabant, diceret Rex publice, num Lithuanos tueri, an ſecus cogitaret? Quæ interrogatio non ſtatim reſponſum

tu-

tulisse, sed ad futura quæ instabant comitia reiecta fuisse memoratur; frementibus interim & vindictam comminantibus eorum legatis, ligati qui postea extiterunt. Prospiciebat autem animo Rex, si Vitoudum & Lithuanos desereret, prodere se suos turpiter oportere: si contra auxilium ferret, grauibus difficultatibus Rempub. implicari. Vnde coacto Lenciciam ad dimidium Iulii conuentu, demum eadem illa bonis modis, quæ semper tentata per legatos est pacificatio. Ac inprimis quidem Archiepiscopus Gneznen. vir primæ in senatu sententiæ, ad Cruçigeros simul cum aliis consiliariis fuerat missus, qui & Regem & Vitoudum ipsis reconciliaret. Quorum Magister cum identidem, num Vitoudum tueri Rex vellet, inquireret, & Archiepiscopus patrocinium & hereditatē prouinciæ Lithuaniæ non ad alium, quam ad Regem magis pertinere responderet: Bene habet inquit: Nos ergo caput, quam pedes, culta quam inculta, inquit, Poloniam

quam Lithuaniam prius etiam aggrediemur, & rem verbis adiecit ac ad dimidium Augusti Dobrinum incendit, & Bidgostiam proditione occupauit. Quibus rebus Rex Vladislaus grauiter punctus, nihil amplius moræ interponendum ratus; vniuersę Polonię, pariterque etiam Lithuaniæ belli expeditionem indicit. Ac minores quidem cum Ruthenis Polonos ad oppidum Volboriam, maiores ad Tencinum conuenire iubet; eoque facto & exercitu apud Radeiouium recensito, sub finem Septembr. Bidgostiam oppugnare aggreditur. Quam cum defendere se non posse Magister Ordinis animaduertisset, Conradum Olesnicen. submittit petitum à Rege ducem, vt vel de sola tantum Bidgostia, Venceslaum Regem arbitrum esse Vladislaus pateretur. Fiebat id quidem protrahendi temporis causa, non solidæ alicuius concordiæ ineundæ, à qua abhorrebat, gratia; sed vel in hac etiam parte, ac vel de tota re arbitrum Venceslaum se velle pati Vladislaus pollicetur. Nam

hyeme iam quoque instante, quominus illi venire auxilio posset, Vitoudus se excusauerat, nec inuitus Regi suaserat, vt inducias cum Crucigeris pacisceretur. Qua de re, dum vltro citroq; disceptatur, Bidgostia à Regiis capta, & valido præsidio est firmata, anxie qui superuenerant, Bohemiæ Regis legatis, Conrado Zeniore Olesnicen. duce, & Iunco Silesiæ præfecto, de pace tractationem instituentibus. Quos in gratiam Crucigerorum Senatum Polonicum auro corrupisse, vt indignam Regi pacem suasisset Nobilitas querebatur: Plena enim in bello suspitionum sunt omnia, & falsa pro veris aliquando peruulgantur. Rex quidem in Poloniam reuersus, & tractandæ pacis gratia ad Regem Bohemiæ legatis missis, celebratisque apud Neopolomiciam aliquot dierum comitiis, in Lithuaniam se contulit, & semotis arbitris solus cum Vitoudo de administratione belli cũ Crucigeris futuri consilia in arcano communicauit. Infida enim secreti est custos lingua & conscientia permultorum. Placuit

cuit autem in Russiam primum, demum & in alias regni partes ac prouincias proficisci, vbi magnam bisontum, onagrorum, & ceruorum confectorum copiam, per Natuam & Istulam Prussiam versus deuehi curauit, & futuri belli necessitati mature occurrere haudquaquam dubitauit. Interim dum in Russia & alibi venationibus operam dabat, Hermanius Ciliæ comes Annæ Reginæ frater patruelis ad eum venit, & vt cum Sigismundo Hungarorum Rege conuenire non grauaretur, fidenter postulauit. Quod etiam non ita difficulter obtinuit. Nam statim à Paschate Vladislaus Sandeciam simul cũ Vitoudo venit, & ad Sigismundum iam factum Cæsarem Kiesmarchum cum aliquot Senatoribus ad tractandam in alios quatuor annos, vltra sedecim cum Hungaris pacem eum allegauit. Erat quippe Venceslaus Cæsar iam mortuus, à cuius morte Sigismundus imperio potitus, res in Germania constabilire suas maximopere exoptabat. Et quia non erat nescius apud Principes & Electores im-

perii, ſumma pollere Crucigeros gratia, propterea magis quam Polonis ipſis quoque fauebat, & ſimul promiſſa quadraginta aureûm nummûm millia ab ipſis habiturum ſe certo ſibi perſuadebat. Spes enim & metus potentiſſimi ſunt ſtimuli deliberantium. Quod vt adeo etiam facilius Vitoudo per ſpeciem amicitiæ perſuadere potuiſſet, ſpem diadematis Lithuanici ipſi iniecit, & ſuarum ac Crucigerorum partium per id efficere ipſummet cogitauit. Sed meminiſſe expedit etiam vulpes à venatoribus capi, & ſubdolos non peræque ſemper tuto potiri. Nam omnibus iis artibus Sigiſmundi Vitoudus cognitis, noctu ab eo diſceſſit: quem ille pluribus miliaribus inſecutus, ſpe & pollicitationibus factis delinire non dubitauit. Verum & Vitoudus omnia quidem tum temporis Iagelloni fratri detexit; ſed vt ſuo loco dicetur, poſtremo tamen Sigiſmundo manus dedit, ac perſuaſionibus pollicitationibuſque eius acquieuit. Interim apparabat nihilo-

minus

minus Rex in Crucigeros bellum solicite & feruenter; & ne quid in eius absentia regnum à Sigismundo detrimenti pateretur, Ioannem Scecocinium Castellanum Lublinen. cum tota Sciricen. & Biecen. nobilitate, in Prussiam profecturus reliquit, ad minoris Poloniæ regni partem, si quid ex Hungaria ingrueret defendendam; Vitoudum vero & aulicum suum comitatum dimittit celeriter domum, quo ad bellum se compararent. Bohemos & Morauos castrorum metandorum peritos, & rei militaris haud ignaros, Zbignei de Brzezie Marschalci consilio in stipendium conducit; omniaque exequitur studiose, quæ ad tantū belli ingruentis apparatum, vel aliqua ratione consilioue pertinebant. Nec non & Sigismundi Cæsaris animum identidem tentat atq; explorat, ne quid intentatum aliquid reliquisse videretur. Sed ille vt vel hac vna de causa pacis inter Regem & Crucigeros sanciendæ gratia facturum se omnia polliceretur, perfidiose certe agebat vniuersa; ac dimissis duobus Hunga-

riæ Palatinis ad Crucigeros legatis, non tam ſtabiliendæ concordię, quam poſtulandæ ab iis pecuniæ oſtendit ſe auctorem. Quo etiam animaduerſo Poloni quidam nobiles, qui in aula & militia Cæſarea verſabantur, neglectis etiam quas ab eo retulerant ampliſſimis prędis, in Poloniam ad ſuum Regem militatum venerunt, & nihil patria habere ſe antiquius, non obſcure oſtenderunt. At vero Vladislaus Rex, Nicolao Curouio Geznen. Archiepiſcopo Cracouiæ ſuo loco cum imperio relicto, omnibus, quæ ad defenſionem etiam vrbis ſpectaſſent, egregie prouiſis, Cœnobium in itinere S. Crucis dictum, & in ſummo monte poſitum adire pedibus, & magnis erogatis in vſus pauperum pecuniis, diuinum ſibi Numen propitium reddere vel inprimis cupiebat. Bona enim in hoſte ſunt arma, ſed optima propitio Numine geſta atque directa. Confluxerant ad Czyrwinskum oppidum nobili monaſterio clarum, iam propemodũ vniuerſæ tam Polonorum, quam Lithuanorum

Duce

Duce Vitoudo cõpiæ. Quo facilius fuit communicatis conſiliis & operis agere, & extructo nauali in Viſtula ponte, bombardiſque maioribus commode tranſportatis, in vlteriore ripa caſtra metari. Demum quia induciæ iam expirauerant, quædam equitum Polonorum turmæ ad infeſtandas Crucigerorum oras miſſæ ſunt populatum, interponentibus nihilominus pro iis ſe legatis Sigiſmundi, vt adhuc per decem ſaltem dies à continuãdo bello Rex ſuperſediſſet. Sed nec tum quidem Crucigerorum animi emolliri poterant, nec ad vllas vel ſatis æquas conditiones pacis à Rege propoſitas, aliquis eorum deſcendebat. Itaque placuit vlterius progredi, & in hoſtico caſtris fixis ad torporem è mentibus ſuorum excutiendum, hoſtem ſubito aduentantem tubæ ſonu proclamare. Erant interim Tartari & Lithuani quidam; qui quod nec rebus, nec locis pepercisſent ſacris, iuſſu Polonorum capti in Regia caſtra adducebantur: hos laqueo ſuſpendere iuſſum, vt Numen diuinũ violatum pau-

corum ſupplicio placaretur. Erat enim Rex vltra modum cum alias, tum in eo bello ſemper deuotus, qui à Luterburga ad Coretnicũ caſtris motis, & paulo poſt Dzialdouiã vſq; perductis, Funccium Repicium legatum Sigiſmundi obuiã habuit familiarem: qui Magiſtro tantum militię, & octo conſiliariis præſentibus, redditis Sigiſmundi Cæſaris Regi literis, bellum eius nomine ipſi denunciauit; propius vero ad Regem ipſum accedens, in aurem quadraginta millium aureûm nummûm cauſa iſta fieri; quibus Crucigeri eſſent emungendi dixit: cæterum nihil à Cæſare hoſtilitatis timendum clam inſuſurrauit. Sed cum nihilominus ſibi reſponderi poſtulaſſet, reſponſum ei per Procancellarium fuerat, mirari Vladislaum Regem, quomodo Sigiſmundus pactis conuentis ſtaret, & quam malam bene de ſe merito Regi gratiam rependeret. Quod ſi non in præſentia ſerio quidem, licet ſero diuinitus eſſet, cogniturus. At Funccius ad Gruciferos reuerſus, fecit eos de omnib. certiores. Quo magis illo nuntio

ex-

excitati, qui vel ad denuntiationem eiusmodi belli domum reuerti opinabantur Polonos debuisse, arma & ipsi expediunt; & Polonos, quos semper contempserant, haud ita inuiti præstolantur. Vladislaus vero cum apud Dubrovvnum, quod sui incenderant, oppidum, Germanis Grunevaldum dictum, die vno aut altero statiua habuisset, & suorum corpora refecisset, die quinta decima mensis Iulii vnum & alterum miliare Grunevaldo progressus, inter fruteta & nemora, ac conuallia quædam, circa iter, quod Mariemburgum ducit, castra est metatus. Erat quæ forte præcesserat nox illa horribilis & plena procellosæ tempestatis: quæ tamen Crucigerorum quam Regis tentoriis magis disiectis ominosi aliquid portendisse videbantur. Quocirca cum ea die præter solitam consuetudinem rei Diuinæ non vacasset Rex, mutato non longe inde loco metatis denuo castris positis, Sacrum coram se celebrari imperauit: quo eodem fere momento hostes iamiam aduẽtare nunciabantur: sed ille nihil eo exter-

ritus, Sacrum vtique exactum audire voluit, & demum re diuina peracta, lætus & bonę spei plenus equum conscendit. A Vitoudo Lithuani, à Zmindramo Poloni instructi; hi lęuum, dextrum illi cornu obtinebant, non sine occulta quadã diuina prouidentia, vt nudis debilioribusque Lithuanis à Cataphractis Germanorum potioribus perfractis, Poloni redeuntes ab insequendo Germanos, vt læuum eorũ cornu ante perfregerant, sic & reliquias quoq; dissipatas, & à persequẽdis Lithuanis lassas conficere potuissent. Scit enim Deus Opt. Max. auxilio pro re & necessitate esse suis, & semper resistit tumentibus & superbis. Nam quanta fuerit Crucigerorum superbia, vel inde patuit, quod iam stanti in acie Regi duos gladios, quibus se defendisset, per Caduceatores miserant: & si parum loci adhuc ad pugnandum haberet, loco quoq; ei cesserant impotẽter. Quod Rex boni ominis signum apud se habens, fore vt vel inuiti loco ipsi cederet, dando responso palam est testificatus. Ac nulla interim interposita mora,

ad hunc eundemq; modum vexilla & ordines contra hostes non magis scienter, quam & animose explicauit. Quinquaginta Polonica signa, quæ vulgus vexilla vocat, insignibus & peritis militibus referta fuerāt, Lithuanica quadraginta. Ac primum quidem vexillum Cracouien. magnum, quod alba aquila diademate ornata insignitum fuerat: præcipuis Baronibus, & vsu bellandi & numero equitum plenum, ante alios spectabatur. Cuius ductor fuit siue præfectus Zindracus de Mośzkorovvice, cum Ferentario Marcissio de Wioczymovvicze, stirpis Pokukoschæ habebat: in quo ipso milites nouē in fronte collocati erant. Zavvischus niger de Grabovv, de domo Sulima. Florianus de Korytnica, de domo Ielitorū. Domaratus de Kobeliani, de domo Grzymalitarū. Skarbek de Gory, de domo Habdanek. Paulus Elodzcius de Biskupice, de domo Nieschob. Ioannes Warszavvski, de domo Nalęcz. Stanislaus de Charbinovvicze, de domo Sulima. Saxa de Targovvisko, de domo Vulpiū. Secūdi vexilli Gon-

cza

cza, cuius duæ voces cœruleæ in cāpo Celestino erat insigne. Id Andreas de Brochocyce miles, de domo Ossoria ducebat: in cuius fronte quinque milites consistebant. Hi videlicet: Ioannes Dumienik de Nabroz, qui apud Turcorum Principem sedecim annis militibus præfuit. Bartholomæus & Iaroslaus de Plomykovv, de domo Pomiiany. Dobeslaus Okvvia, Wieniavva, & Sigismundus Pikna Bohemus. Tertium vexillum erat Cubiculariorum, cuius insigne vir armatus equo candido insidens, gladiumque manu vibrans, in campo rubeo conspiciebatur. Id Andreas Ciolek de Zelechovv, de domo Taurorum, & Ioannes de Sprovva, de domo Odrovvaz ductitabat. In cuius fronte hi milites seu antesignani erant, Mscugius de Skrzynno, de domo Cygnorum. Alexander Gorayski de domo Scyphorū. Nicolaus Pouala de Tacza de domo Povvalorum. Sasinus de Wichucza, de domo etiam Poualorū. Quartum erat vexillū S. Georgii, habens crucem albam in campo rubeo pro insigni, sub quo

omnes Moraui & Bohemi in ſtipendium militabant conducti: cuius ductores e rant Sokoli & Zbislavek Bohemi. Et inter alios eorum erat præcipuus Sarnofok Bohemus, cui Iagello ob conſanguinitatem cum Polonica gente, & ob artis militaris peritiam, maximum honorem deferebat. Quintum vexillum terrę Poznanien. albam aquilam in campo rubeo, nō coronatum pro inſigni ſortiebatur. Sextum Sendomirien. terræ, in quo pro vna medietate tres barræ, vt vocant, ſeu tractus glauci in campo rubeo, pro altera ſeptem ſtellę in campo cœleſtino ſpectabantur. Septimum Caliſien. terræ, inſigne caput bubuli, ex cuius naribus vnculus rotundus prominebat, fuerat. Octauum terræ Siradien. in quo dimidium aquilæ albæ in campo rubeo, & dimidium flāmei leonis in campo albo erat depictū. Nonū terræ Lublinen. ceruum cornibus diſtenſis in campo rubro habebat. Decimū terræ Lencicien. cuius inſigne dimidia pars aquilę nigrę, & altera leonis in cāpo cęruleo picti, capita habēs coronata ſpectaba-

tur.

tur. Vndecimum terræ Cuiauien. in quo pro vna dimidia parte aquilæ in cãpo cæruleo nigræ, pro altera dimidiũ leonis albi in campo rubeo, capita habens coronata insignia preferebat. Duodecimum erat Leopolien. vnum leonem cæruleũ, quasi petram conscendere vellet, habebat. Decimum tertium erat terræ Vielunen. lineam niueam transuersus ductã in campo sortiebatur rubeo. Cui Rex ob raritatem militũ mercenarios ex Silesia adiunxerat, loco alicuius supplementi. Decimũ quartum erat terræ Premyslien. quod aquilam cæruleam, duo capita à se auersa in campo cæruleo, insigne municipii denotabat. Decimũ quintũ terræ Dobrinen. faciẽ humanam, ad femora barbam alentem, cum capite diademate habebat insignito. Decimum sextũ terræ Chelmen. faciem albam inter duas locatã arbores in campo rubeo ostendebat. Iam vero decimum septimũ, & decimum octauum, ac etiam decimũ nonum, abundante multitudine militũ, signa habebat tria, quorũ quodlibet faciẽ solarẽ in cãpo rubeo habebat pro insigni.

Vigesimũ Halicien. quondã regni, nunc vero terræ, monedulam nigram, caput diademate in campo albo habebat redimitam. Vigesimum primum & secundum à duce Semouito Masouiæ missum, aquilam albam absq; diademate in campo rubeo habebat pulchre depictã. Vigesimũ tertiũ Ducis Ianusii Masouiæ fuerat vexillum, quasi in quatuor partes distinctam albam aquilã pro reliquis Ducib. transuersum se aspicientẽ in albo & cœruleo colore pictam sortiebat᷑. Vigesimũ quartum erat Nicolai Kurovvski Gneznen. Archiepiscopi, flumen cruce signatum in campo rubeo affabre adumbratum. Quintum vero & vigesimum Alb. Episc. Poznanien. in campo rubro crucem albã habens spectabatur, cuius milites Iurãdus de Buczevvo ductitabat. Vigesimum sextũ Christini erat de Ostrovv Castellani Cracouien. præcipui Regni Polonici in secularib⁹ Senatoris, quod & ipsum virgine vrso insidente in campo rubeo picta lętabat᷑. Vigesimum septimũ Ioannis Tanosek Palatini Cracouien. Lunam cornutam stellam

comple

complectentem in cambo habebat cœlestino. Vigesimũ octauum Sendiuogii de Ostrorog Palatini erat Poznanien. fasciã circumuolutam baptismum, quo simul cũ Mecislao Rege progenitores eius nomen Christo dederant, in memoriam posteritatis reuocabat. Vigesimum nonum Nicolai de Michalovv Palatini Sendomirien. rasa alba in campo rubro fuerat insignitum. Trigesimũ Iacobi de Koniecpole Palatini Siradien. babatum habebat albũ in campo potiore parte demissum. Trigesimum primum Ioannis aliâs Ivvan de Obichovv Castellani erat Schizemen. Bisontis, ex cuius circulus pendebat naribus, effigie admirandum. Trigesimũ secundũ Ioannis erat Ligęza de Bobręk Palatini Lencicien. cuius caput Asini in cãpo rubeo erat insigne. Trigesimũ tertiũ, Andreæ de Tęczyn Castellani erat Voynicen. cuius in cãpo rubeo bipẽnis, antiquissima Polonię arma, coruscabat depicta. Trigesimũ quartũ Z bignei de Brzezie regni erat Marschalci, cuius caput leoninũ in campo cęlestino flammam euomebat.

Trigeſimum quintum Petri erat Szafraniec de Pieskowa Skala Succamerarii Cracouien. cuius albus equus nigro tegmine in medio præcinctus in campo rubeo erat inſigne. Trigeſimū ſextum Clementis de Moſzkorew Caſtellani Vislicen. cuius duæ cū dimidia cruces cęruleæ in cāpo flauo depictæ ſpectabantur. Trigeſimum ſeptimū Vincentii de Granow Caſtellani Srzemen. & maioris Poloniæ generalis erat Capitanei, cuius luna curuata ſtellā in medio cōtinens in flauo cāpo ſtemma ipſius denotabat. Trigeſimum octauū Dobeslai erat de Oleſznica, crucē albā & ſub quarta crucis parte per modum duplicis W in cāpo rubeo inſignia præferebat. Trigeſimū nonum Spitkonis erat de Iaroslaw, cuius luna accuruata in medio ſtellam continens in cāpo Lagaricio erat inſigne. Quadrageſimū porro vexillum Martini erat de Slawkowo, ſuperiorem partē leonis, & quatuor in parte inferiori habebat pro inſigni lapides ſatis grādes. Quadrageſimum primū Dobrogoſtii de Schamotuly faſciā accuruatā, & in medio

constrictam in campo rubeo instar insignium fuerat gentiliociorũ. Quadragesimum deniq; secundum Christini erat de Koziegłovvy Sandecen. Castellani, sagittam geminatam cruce ornatã in campo rubeo pro insigni circumferens. Quadragesimũ tertiũ Ioannis Węzyk de Dabrovva, duos pisces, qui trutæ appellãtur, vnũ quidem in campo albo, in rubeo alterum pro gentilitiis armorũ sortiebatur ornamentis. Ac quartum & quadragesimum regni Poloniæ Procancellarii tubas tres habebat pro insigni. Quadragesimũ quintum Nicolai Kmitæ de Wisnicze flumen rubeũ cruce habens pro armis exornatã. Quadragesimum sextum fratrũ & militũ Gryfonũ, album Gryfonẽ in cãpo præferens rubeo, cuius ductor erat Sigismũdus de Bobovva, miles & subiudex Cracouiẽ. Quadragesimum septimum militis Zaklicze Koziebroczki, tracturam albam in modum duplicis W. cruce in cãpo rubeo habens signatam. Quadragesimũ octauũ fratrũ & militũ erat Kozlerogi, tres hastas, sicuti aliquãdo eorũ progeniei miles trãs-

uerberatus iis fuerat, oſtendebat: cuius ductor erat Ioannes de Korytnica Vislicen. Caſtellanus. Quadrageſimum nonũ vexillũ Ioannes Senczykovvic erat, Morauici Baronis Odrovvazorũ armis inſigniebatᷣ, & cuius ductor Heliua Morauius, & omnes item Moraui erant cõmilitones. Quinquageſimum Gneuoſii de Dalççzovvice Subdapiferi Cracouiẽ. ſpectabãtur: ſub quo nõ niſi mercenarii tãtũ nõ ex Polonis, ſed ex Bohemis, Morauis, Sileſiis, & aliis nationibꝰ collecti militabant. Quinquageſimũ primũ vexillũ erat Sigiſmundi Koribut, Lithuanorũ ducis, ꝙ equum cũ milite armato pręferebat pro inſigni. Erant prætere in exercitu Lithuanico Vitoudi ducis & aliorum quadraginta circiter vexilla, ſub quibus tãtum Lithuani, Rutheni, Samogitæ, & Tartari cõſiſtebãt; qui tamen quam Poloni, & minorẽ numerũ militũ, & arma habebant pauciora: qui nec equitatui Polonico quidẽ vlla in parte reſpondebant. At contra Crucigerorũ maximus erat exercitus vndiquaque collectus ex omni omnium Germanorũ gen-

te & natione, sed tot tamq; splendentia vexilla, & ornatos milites ac tibicines, vt Polonicus, non sortiebatur, vnumq; illis nocuit maxime, q́ catenis ferreis, quo minus eorum ordines à nostris perrumperentur, arcte inter se colligati Crucigeri spectabantur. Duo autem signa seu vexilla Magister ordinis habuerat pręcipua. Primum quidē magnū sub quo quicquid roboris fuerat cōsistebat, paulo minus alterum. Ambo crucē & aquilā pariter nigrā sortiebantur. Cuius auctor Fridericus de Vallero Marschalc' Prussię fuisse memoratur. Erat & vexillum Conradi ducis albi Canthner Olesnicen. quartum, aquilā nigrā in cāpo cęruleo pro insigni habēs, cui ipsemet Dux præfuit, & magno illi conflictui solus ex ducib⁹ Silesiæ interfuit. Quāquam studio & voluntate vtiq; absentes omnes Silesię Duces non dubites ei prælio interfuisse. Iam & Cacimiri Sceccinen. siue Pomeranię Ducis vexillū quintū Gryphonē in cāpo albo depictū habēs spectabatur. Nec non & S. Georgii sextum, crucem rubeam in campo albo sortitum,

cuius

cuius Nicolaus Kersdorf ductor, cui militaris virtus quam fuga cordi magis fuerat, fuisse memoratur. Laudanda enim vel in hoste fuerit virtus, & nullus sanguinis nexus decori & virtuti in amico præferatur. Septimum erat vexillum Pomeraniæ Episcopi, Ioannis Euangelistæ in specie aquilę cæruleę imagine picta illustratum: quod Marquardus de Rossemburk ductitabat. Octauum vero Episcopi & Episcopatus Zembrien. tres mitras rubeas in albo campo habens fuisse memoratur: cui Henricus comes de Camenecio præerat natione Misnen. Nonum item vexillum Episcopi & Episcopatus Helmen. erat Rossemburg, quod gladium rubeum nudatū in campo albo præferebat; cuius ductor Theodoricus de Schemlburg habebatur. Decimum vexillum Episcopi erat Varmien. in quo Agni Dei imago cum sanguine ex gutture in calicē profluēte apparebat. Vndecimū vexillum Magnæ, vt vulgo vocant, erat cōmendatoriæ, cuius Conradus Lichtenstainer magnus Commendator spectabať. Duodecimum vexillū ciuitatis

Elbingen. fluctus marinos, partim albos, partim rubeos, pro insigni ferens sortiebatur. Cui Nicolaus Nix vexillifer Culmen. quem Henricus à Plauen ordinis Magister ob prælii infelicem successum capitis damnauerat, fertur præfuisse. Decimum tertium vexillum erat Thesaurarii ordinis, Morchemi dicti, claue alba in cãpo rubeo insignitum. Decimum quartum vexillum erat Cõmendariæ, vt vulgo dicitur, & ipsius Grudzen. ciuitatis, quod in cãpo albo caput Bisontis habebat pro insigni: huius ductor Guilhelmus Ephensthain Cõmendator de Grudziadz spectabatur. Decimũ quintum vexillum cõmendariæ, & oppidi Balgæ, in cãpo albo lupum habens rubeũ spectabatur. Decimum sextum cõmendariæ & ciuitatis Tichõschæ erat vexillum, duobus piscib. rubeis in cãpo albo distinctũ. Decimũ & septimũ Ciuitatis Kinsbergen. q in campo rubeo albũ gestabat Leonẽ, & Marschalcũ eiusdem loci erat sortitum ductorem. Decimum octauum vexillum cõmendariæ, quã vocant, de castro antiquo ductor guberna-

bernabat. Et decimum nonum ciuitatis Tuchola, eius quoq; commendator regebat: qui eo superbiæ amentiæue potius dixero, venerat; vt toto eo bello duos gladios districtos absq; fagina præferri sibi curauerit; tum prius se eos cōditurus, quā sanguine Polonorum cruentarentur. Vigesimum vexillum castri & commendatoriæ Niescouien. fuerat, eiusdemq; etiam habebat loci ductorē. Vigesimum primū vexillum stipendiarios ex prouincia Germanica Vestphalia ortos, & duas sagittas pro insigni habebat. Vigesimum secundum erat Aduocatiæ & ciuitatis Rogozno: cuius ductor Fridericus vel Aduocatus in eodem illo Rogozno. Vigesimū tertium vexillū erat ciuitatis Gedanen. cuius ductor Ioannes Schominfelo Cōmendator item Gedanen. geminatis crucibus, alba & rubea, insignitum. Vigesimū quartum erat cōmendariæ & ciuitatis Engelzberk imagine Angeli decorata; ductor eius Burchardus Vbik. Vigesimū & quintū vexillum commendariç & ciuitatis erat Brodnicen. ductor Baldus Schalz diceba-

tur.

tur. Vigesimũ sextum castri Bratian & ciuitatis Noue, Ioanne de Reder aduocato in Bratian ductore. Vigesimũ septimũ ciuitatis Bransbergen. fuerat vexillũ. Vigesimũ octauũ vexillũ milites continebat mercenarios. Et vigesimũ rursus nonum Heluecios, qui Crucigerorũ copias auxiliis suis in hoc bello volebant videri auxisse. Conspiratum quippe quasi in Polonos fuerat ex Germanis vndiquaque. Trigesimum item vexillum erat ciuitatis Lesken, quod Kusecki de Iasin, campis insignitum tribus, rubeo, albo, & nigro, aduocatus ductitabat. Trigesimum primum vexillum erat commendatoriæ, & ciuitatis Slochow, quod in parte superiori habebat imaginem magni Dei; & ducebat illud Arnoldus de Baden commendatarius Slochovvien. Vexillum item trigesimum secundũ erat cõmendatoriæ ciuitatis Ostroden. Et trigesimum tertiũ ciuitatis Bathesę. Trigesimum quartum militũ terræ Culmen. quod Iohannes comes de Zaien cõmendator Toronensis ducebat. Itẽ trigesimum quintum cõmendariæ ciuitatis

Elbi-

Elbinen. quod eiusdem commendator ductitabat. Trigesimum sextum ex Germania inferiore milites continebat. Trigesimum septimum vexillum commendariæ ciuitatis Torun. vicecommendator eiusdem ducebat in expeditionem. Trigesimum nonum oppidi Gnievvkovv Ioannes comes de Wende commendator Gnievven. ducebat; sub quo pariter erant ciues ex districtu Gnievvkovv, & milites ex Franconia venientes. Quadragesimum postremo vexillum ciuitatis, quæ vocatur Heildebrandi, habens in magno campo asciam albam pro insigni. Quadragesimum primum vexillum erat ciuitatis Bransuik, proximum erat Gedanen. & ex militibus constabat Misnen. Quadragesimũ vero quartũ, ciuitatis Zistno. id ducebat Albertus à Korsbok. Quadragesimum quintum erat ciuitatis Ragneta', quod Fridericus commendator eius oppidi ductitabat. Quadragesimum sextũ ciuitatis Krisperk erat vexillum, cruce alba in campo rubeo insignitum. Septimum autem & octauum constabat Luco-

nibus

nibus. Quadragesimum postremo & nonnum erat ciuitatis Czczow, quatuor campos nigros habens. Quinquagesimum ciuitatis Holsten. Quinquagesimũ primum militibus constabat mercenariis. Quinquagesimum secundum erat Brandeburgen. aquilam rubeam in campo albo pro insigni sortiebatur. Aberat interim de Svviecie cõmendator cum sua gente & vexillo, quod per Ianusium Brzozoglorum incursionem veritus, eã Prussię oram, quæ proximior Bidgostiæ fuerat, susceperat defendendã. Eo igitur ordine, & dispositis militum turmis & præfectis ductoribus prælium illud Gruneualden. post hominum memoriam maximum est exorsum: pauca quidem initio verba Rex fecit, vt in illo strepitu armorum, & angustiis temporis, quæ omnem celeritatem requirebant, vix fuit concessum. Armatus quippe Rex iam in aciem descenderat, binosque aut ternos equites cum pari hostium numero contra se inuicem cũ hastis præcurrentes forte intuebatur. Interim procerũ monitis obtẽpe-

rare iussus, cum delecta suorum manu, ex acie paulo longius egressus, euentum totius prælii, fusis ad Deum precibus, totus lachrymis & bonæ spei plenus auide præstolabatur. Altior paulo locus, vbi Crucigeri constiterant, spectabatur, ex quo cum duas bombardas miræ magnitudinis explodi in Polonos fecissent, exiguo tamen damno eos affecissent; mox vehementi impetu, non secus ac grandis aliqua concidisset sylua, hastas vtrinque confregerunt: & quantumuis licet hora vna & vix non altera dimicatum fuerat, in quam tamen partem victoria inclinare debuerat, vix poterat aliquis diuinasse. Tanta est obstinatis animis in prælio cõcertatio armorum, præsertim nationum antiquitus sibimet infestarum. Quo fiebat, vt non minus dextrum, quam sinistrum Crucigerorũ cornu Lithuanos debiliores præ quadam veluti desperatione pelleret, & eos loco vt inermes milites fugaret, ac quodammodo etiam profligaret. Aderat Vitoudus circa omnia omniũ suorum signa clamando, & ad redinte-

grandum in hostes pugnam animando. Sed nihil est difficilius, quam dispersas ex acie copias in vnum vicissim collegisse. Poloni ergo Deo opt. Max. confisi; cum Lithuanos, solis Smolensciis exceptis, qui Vilnam vsque fugientes, iam de Polonis actum esse, nunciauerant, fugam dedisse viderant, partim dolore & internecione suorum moti, partim vero numerum Crucigerorum insequendis Lithuanis minorem contemplati; tanto magis instare cœperunt, & Crucigeros per se ipsos iam diuisos, & per campos incertis ducibus sine ordine volitantes perruperunt. Erat vexillum Regium forte interceptum à Crucigeris, in ipso pugnæ ardẽtis quasi principio. Hoc vt Vrocimirius Signifer Cracouien. incautus amiserat, sic cum cõmilitonib. eodem illo momento facile recuperauit. Nec mora etiam Crucigeri ipsi à persequendis Lithuanis fessi, & q; suos iam disiectos offenderant semidesperabundi redierũt. In eos igitur Poloni alacres, & bonæ spei pleni, denuo impetum faciunt, & nulla interposita

mora, illud etiam agmen, in quo Magister ipse & præcipui Crucigerorum versabantur, simul aggrediuntur. Difficilior paulo illa fuerat concertatio: præter quã enim, quod fortissimus quisque sub illis sedecim Magistri Crucigerorum signis militabat; illud etiam accesserat, quod in vicinia Regem esse conspicati, & in furorem desperationem quasi acti, eũ ipsum aggressi sunt, & memorabili aliquo facinore edito, vel mortem oppetere minime dubitarunt. Est id moris, vt præcipuos in acie petant, & caput quam caudam potius conficiant gnari in omni memoria bellatores. Quapropter cum eam Crucigerorum aciem dirigi Rex Vladislaus in se forte animaduertisset, occultato prius vexillo, Zbigneum Olesnicium scribam ad exercitum misit; vt cohortes aliquot subsidiariæ ipsi vicissim submitterentur. Dimicabatur adhuc vtrinque acriter, & Nicolaus Kielbasa, artis bellandi peritissimus, in acie quasi præcipuus versabatur: Hic ad Olesnicium conuersus; Non expedire rebus, vt non-

dum adhuc potitus plene victoria exercitus diuidatur, & speciem fugæ in partē secedendo præbeat, diserte respondit. Quo ipso prudenti responso Rex contentus, & quod credibile erat in tanto armorum fragore etiam mandata Regia non exaudiri, nihilominus Martis periculum nisi retentus fuisset in obuios Crucigerorum facere apud se cogitabat: cum interim Diopoldus Kiekricius, ex Lusatia oriundus, miles apprime strenuus, totū corpus armis tectus ex inimicorum exercitu citato equo excurrens, Regem ipsum infesta hasta voluisse petere est visus; in quem cum & Rex etiam rursus direxisset hastam, Zbigneus Olesnicius cum semifracta, quę in terra iacebat, hasta præcurrens à latere, equo eū deturbauit. Quem primum quidem Rex balteo militari, demum sacros ordines suscipientem, Episcopatu Cracoui. ac postremo Pont. Max. Galero etiam insigniuit. Hunc Kiekriciū quamuis vitæ eius Iagello parsum esse voluisset, quo minus tamen à satellitibus Regiis occideretur, non impetrauit.

Sed nihilominus affecto, sed non confecto vtique prælio Magister ille & Crucigerorum, ex quibus Kiekricius prodierat, copiæ restabant adhuc superandæ: quæ tanto difficiliores superatu fuerant, quanto à fuga Lithuanorum reuersis cumulatiores reddebantur. Instant ergo Poloni Crucigeris loco mouendis quam vehementissime; adeo vt fugientes in ipsa etiam castra persequerenter: quæ commeatu, vino, & id genus aliis rebus, non solum ad necessitatem, verum etiam ad voluptatem abundabant. Iam vero tanta victoriæ in Crucigeris erat confidentia, vt magna tædarum vis ad incendium Poloniæ comparata, & catenarum numerus ad vinciendos Polonos aduectus in iis memoretur. Quod tum quidem Crucigeris male, sed & alibi aliis contra Polonos cessit præfuneste. Paratarum enim insidiarum vices non neminem aliquando visum est rependisse. At vero Rex per omnia castris Crucigerorum potitus; suis qui se vino ingurgitabant conspectis dissecare multa vini dolia iussit: & vt potius

quã biberent, persequerentur hostes, imperauit. Mirabile illud spectaculum fuerat, cum vinum, cum occisorum sanguine mixtum, ceu flumen aliquod cruoris inspectantibus premonstrabat: quo in loco postea Crucigeris ipsis Sacellum quoddam in monticulo extruere placuit; quãtumuis licet nemo Historiographorũ, à quo, & vbi conditum fuerat, vllam vel minimam fecerit mentionem. Constat certe multorum & illustrium Crucigerorum corpora sepulta ibi fuisse, & Missæ quotidie sacrificium, non nisi ad Patrum nostrorum tempora vsque celebrari desiisse; posteaquam Lutherana Religio Alberto Marchione Brandeburgen. & in Prussia duce auctore, vt alias Aquilonis Prouincias, sic & Prussiam quoq; inuasisset. Ferunt autem vna illa die quinquaginta hominũ millia à Polonis cæsa, quadraginta vero capta fuisse: cum longiore fuga vix aliqui Regiis passim & vbiq; instantibus vitam seruasse memorentur. Nam quod quidam palustri & incognito latitantes loco se abdiderant, armorum

ſplendore proditi, rurſus in caſtra compulſi ſunt, & armis abiectis vix ſalutem obtinuerunt; vt mirum fuerit à tanta elatione tumoreq; mentis multo ſui diſſimiles Crucigeros euaſiſſe, quorum exercitus tota ex Germania magno precio præcibusq; hinc inde conflatus, centum quadraginta millium bellatorum numerum ſuperabat. Iam vero inter illuſtriores Crucigeros Conradus albus Oleſnicen. & Cazimirus Steninen. capti ſunt; multiq; alii clari generis & nominis non pauci cum ipſis ſignis militaribus in Regium conſpectum poteſtatemq; peruenerunt: qui omnes ſponſione militari obſtricti, vt ad proximum S. Martini diem Cracouiæ ſe ſiſterent, altera die etiam liberalitate & munificentia Regia refecti, domum permiſſi ſunt proficiſci. Nihil enim in victos & abiectos magis decuerit, quam æquum & moderatum clementia & placabilitas ſemper victorē. Reliqui vero eorum, qui captiui fuerant facti, Stecinen & Oleſnicen. Duces, Chriſtophorus itē Kiersdorfus Sileſius, Venceſlaus Duninus Bohe-

mus, & quicũq; de Crucigerorum ordine fuerant, in Poloniam custodiæ sunt amandati. Iã & de Marquardo Salisbechio commendatore Brandeburgen. & de Schumbergio, frustra pro iis deprecante Rege, Vitoudus sumptum voluit supplicium plane horrendum, cum detracta prius cute immaniter occiderẽtur. Quod ideo obuenerat, quod Caunen. bello Vitoudi matri probrum obiecerat, cum obsidum loco teneretur. Reminiscuntur enim Principes factarum sibi iniuriarum; & quando possunt, licet nõ peræque semper debeant, grauiter vlciscuntur. Ex Regio interim exercitu opinione desiderati sunt pauciores: ac vnus ille Iakubovvski Roseus, & nobilium potissimi XII. memorãtur. In Zarnouio Bohemo fidei aliquid desideratum, qui siue armorum metu, siue Crucigerorum ære corruptus, principio pugnæ statim se proripuerat: sed quod Procancellarii Trabæ monitu in aciem rursus redierat, ac speciem noui exercitus præbens, magno suis auxilio fuerat ea, quæ de ipsius fuga concepta opi-

nio fuerat, tandē, vt fit, ſenſim etiam euanuit; & Rex ipſius excuſationi acquieuit. Multa quippe per errorem facta, illuſtri aliqua re denuo ſuccedente, obliuioni traduntur. Hanc tam nobilem Polonorum de Crucigeris victoriam, cum omnia omnium ordinum diuinitus impetrarunt vota, tum etiam quædam in cœlo oſtenta præſagire non obſcure videbantur. Qui enim ei prælio interfuerant, Beatum Staniſlaum hoſtes terruiſſe, & noſtros hinc & inde confirmaſſe & animaſſe ferunt: quoadusq; tandem plena in hoſtes victoria potiti, nihil de rebus ſuis amplius dubitare neceſſe habuerunt. A qua quidem victoria, & pugnæ illius loco Rex tentoria eadem die non procul fixit; & ad veſperum omnes, qui tam remanſerant, quam qui à perſequendis hoſtibus redierant milites, perbenigne tam lautiis quam donis etiam ipſis refecit. Ac vnum illud maxime memorabile fuit, cum Loſcho nobili Maſouio, antiqua & militari familia nato, circa Krzywonogam tantum territorii dederat, quan-

tum vna die obequitare poterat; ob 70. ex hostili acie, malleo, quē nemo à terra eleuabat, caput percussos & interfectos. Ex quo ipso confestim tempore vniuersam Poloniam non modo de victoriæ fama, sed etiam ingens lætitia vsquequaque peragrauit. Qua ipsa de causa apud omnia in Polonia templa supplicationes habitæ, & dies ille memorabilis, quo diuisio Apostolorum repræsentatur, inter festos est relatus. Præstiterat autem Crucigeros non solum vicisse, sed victoria etiam vti Polonos non ignorasse; nam Mariemburgum fortissimum totius Prussiæ propugnaculum ab illa Polonorum victoria iam deditionem cogitabat: interim enim cum triduo in statiuis Rex seipsum contineret, causam & occasionē dedit Plauenio ciuitatem muniendi: qui ei arci præfectus, ex vicinia quinq; millibus hominum collectis, & Mariemburgum perductis, nutantes suorum animos egregie confirmauit: posteaquam à peritioribus bellandi, frustra vt copias eo præmittet monitus, tam opportunam rei

bene

bene gerendæ occaſionem neglexiſſet Vladiſlaus. Occaſiones enim hoſtes vincendi, vt occurrunt raro, ſic & reuertuntur ſero; & non niſi probro & damno recuperantur geminato. Nam Liuoniæ Crucigerorum Magiſter cum quingentis cataphractis equitibus, eodem in Pruſſiã veniens tempore, Plauenium & aliarum arcium Præfectos mirifice recreauit. Congreſſus is primum apud Paſſarium amnem cum Vitoudo fuerat; vbi Vitoudo impetum facere in eum volente, ſecreto eius colloquium Magiſter poſtulauit: & tantum quidem orando ſuadendoq; potuit, vt Vitoudus Crucigeris reconciliatis Samogitiam pacare, quam caſtra Polonorum ſequi vtilius & decentius ſibi fore omnino arbitraretur. Itaque Regi vix hoc eodem conſilio communicato, & quaſi etiam fratre aduerſante, in Lituaniam eſt profectus: Magiſter vero per ſpeciem arbitri, ad pacem inter Regem & Plauenium tractandam Mariemburgum ire permiſſus; tantum quidem abeſt, vt pacis mentionem feciſſet, quod etiam

Crucigeros animaſſe magis diceretur; cum Regis & eius exercitus debilitatem, & Vitoudi conſilia & animum, non vſquequaque Polonis fauentem, ſuis explicaſſet: quo fiebat, vt vix Crucigeri aliquam vel minimam pacis mentionem apud Regem amplius facerent, & oblatas prius à ſe conditiones irritas ſe habituros non dubitanter teſtarentur. Quod eo etiam faciebant fidentius, quo Parochũ quendam Gedanen. ſenem, qui ætatem & obſidionis moleſtias cauſatus in patriam ire ſe velle profitebatur, Poloni per ſua caſtra impune ire permiſerant; & ſexaginta aureûm numûm millia à Plauenio illi data, vt Gedanen. Slochouien. & Stecinen. commendatoribus, in militem eam pecuniam diſtribuiſſet, cum alia ſupellectili exportandi præſtiterant facultatem. Verum cum ea ſubſidia tardius ſubminiſtrari poſſe obſeſſi arbitrarentur; & interim occaſionem nacti, magna mercede accepta, Polonis ſe gratificaturos exiſtimarent, per quendam Bohemum Socolum dictum in caſtris Regiis militantem,

deMariemburgo etiam inuito ipsoPlauenio dedendo, tractare minime dubitarũt: & vitam quadragintaq; millibus florenorum postulatis, voti compotem facere Regem & exercitum promiserunt. Sed neq; ea expugnandi Mariemburg. Polonis placuit ratio; cum qui paulo ante ferro vicissent, indignissimũ proditione vincere hostes arbitrarentur. Nec ita magno postea temporis interuallo, instinctu, vt credebatũ, Crucigerorũ, vulgo fama emanauit, Sigismundum Cæsarem eundemq; Hungariæ & Bohemiæ Regẽ, cuius legati, tot aureûm numûm millibus à Crucigeris acceptis, in Hungariam redierant, Poloniam inuasisse, & vi ac ferro omnia peruastasse. Cui quidẽ Poloni credentes nũcio, moram & vxorum tædium parũ ferentes patienter, Regem vt in regnum rediisset hortabantur: solis hoc consiliũ Prutenis improbantibus, qui victoriã nuper partã in casum abiturã, & Crucigeros in posterum crudeliores & cautiores futuros testabantur: sed eo non obstante ac Nicolao Traba reclamante maxime, soluta Ma-

riembur-

ricmburgi nihilominus est obsidio: Cuius rei Vladislaum cœpit paulo post pœnitudo, præsertim cũ post obsidionis dissolutę tempus quosdã ex maiori Polonia aduenisse vidisset proceres, qui magna ipsi prosequenda victoria adiumenta præstare posse credebantur: qui siue Tucholia exclusi fuerãt, siue alia de causa Coronouiæ substiterãt, occasionẽ quidem denuo cum Crucigeris bellandi forte fortuna adepti sunt, & virtutem suam militarem testatam reliquerunt. Erat Coronouia oppidũ nec arte, neq; natura pręmunitũ: Tucholiæ autem peruicinum, apud quod Michaele Cochomeistro præfecto nõ exigua hostium cõfluxerat multitudo: hi cũ per exploratores Polonos, fucate illis omnia nunciantes, Polonos oscitantes, & nihil de hostibus suspitionis habentes Coronouiæ reperiri intellexissent, ex equis statim delapsi, prãdentes de improuiso aggrediũt: Quos vbi Poloni persentiscerent aduentare, armis correptis, & ipsi ad pugnã se accingũt, ac circa Monasteriũ Beidẽ cũ Crucigeris intrepide cõgrediũt.

Id qui-

Id quidem præter omnem acciderat hostibus opinionem, qui ſimulatque eo veniſſent, plena de Polonis victoria ſe potituros arbitrabant: ſed ſpe vana ducti, cum equos repetere neceſſe habuiſſent, non niſi tandem vno à Coronouia milliari, in colle quodam exercitum extruunt editiori. Pugnatum eſt vtrinque acriter, & Conradus quidã Nemcicius Sileſiacus, de cohorte Sigiſmundi Regis in mediũ procurrens, Polonorum qui vellet, ad ſingulare certamen prouocauit. Obtulit ſe huic Ioannes Sczucius gente Poluuius, & mox infeſtis armis concurrens, Nemciciumq; victum ad ſuorum agmen perduxit, non modo feliciter, ſed etiam triumphantis inſtar glorioſe. Hinc ſublato vtrinque clamore, demum manus etiam conſeruntur, nec facile patebat, quonam victoria inclinare potiſſimum debuiſſet. Vbi enim vis vi, & arma oppugnantur armis, non facilis vſque quaque futuri certaminis exitus fuerit explicatus. Ex magna igitur contentione prælii, vtriuſque exercitus milites facile defatigati ſunt &

fuerunt: quo adeo eſt factum, vt mutua quadam conſenſione, temporis aliquantũ ad reſpirandum vtrumq; agmen ſibi ſumere & mox amotis ſauciis, vulneribusq; colligatis, prælium redintegrare videretur. Sed nec tum quidem, poſteaquã diu multũq; pugnatũ fuerat, pars vna alteri cedere, & vel tantillũ referre pedẽ voluit; ſuisq; denuo confirmatis & admonitis, infeſtis ſignis rurſus concurrunt. Erant iam occiſi quam plurimi, nec tamẽ de priſtina ferocia aliquid vtrinq; erat diminutum: quod cauſæ fuerat, vt quaſi ex compoſito vterq; exercitus paulo retrocedere & ſudorẽ ſibi æquisq; ſuis arbſtergere ac pocula vtrinq; inter ſe miſcere memoretur. Poſtremo vero tandem refocillatis viribus, (vt vel vincerent vel vincerentur vtriq; expectãtes) in aciem cuncti progrediuntur, ac maiori quam vnquam antea pugnant peruicatia, ita vt aliquot horis illud eorũ durauerit certamen magna vtriuſque gentis gloria & fortitudine ſingulari: Sed (vt plerunque fit) cum vnam quidem partem potiri tandẽ victoria oportuerit,

Ioannes Ostrouicius Polonus cognomẽto Nassianus, Gente Bipenniũ siue Tenciniorum ortus, adacto equo hostiũ vexilliferum iugulat, & vexillum quo vno regebatur, ad suos defert cõmilitones: iã quodam modo de victoria dubitãtes. Tãtopere hominum animos, vel vnius in exercitu iuuat virtus, quantũ inter metũ, ignauiã; & inter generosum animũ fortitudinẽq; fuerit discrimen. Nã eodẽ illo tẽpore hostilis acies, quæ in eam horã incõcussa steterat, cœpit quodã modo turbari, & Polonorũ virtus ad prosequendã victoriã excitari. Quo est factũ, vt, metu pudorem superante, Crucigerorum copiæ fuga saluti suæ consulerent, & Poloni opulentã prædam, & gloriosum triumphũ de iis reportarent. Qui cũ nocte instante & insidiarum metu vlterius insequi non potuissent hostes; tandẽ quidẽ ad suos qui in castris remanserãt reuersi sunt, & plenam victoriam quã spolia referre maluerũt. Multis enim auiditas nocuit prædæ, & semper honos & dignitas quã cõmodũ loco sunt potiore. Hoc nimirum prẹlio octo rursus

Crucigerorum millia cæſa, totidemq; capta certa fama ferebatur. Quod tanto etiã Gruneualden. anteibat, quãto maiore animi & virium contentione vtrinq; proculdubio fuerat dimicatũ: quo etiã Crucigerorũ ſtudia militiaq; fracta, Polonorũ vero virtus & potẽtia magis eſt illuſtrata. Interfuerant vero Coronen. pugnæ Sendiuogius Oſtrorog. Palatinus Poznanié. de armis & inſignibus Nałęcz, Matthias de Labiſchin Palatinus Brzeſten, de domo Bipẽniũ, Petrus de Niedzwiedz Dux Regii exercitus de familia antiqui equi, Mſcugius de Skrzynno de familia Cygnorũ, Iacob. Kobylinnski Grzymalita, Nicolaus de Powala multis acceptis vulneribus clarus, Gneuoſchus de Daleiowicze de Strzegowia, Petrus item Ryterski, Ioannes Naſchian de Oſtrowice, Ioannes Farurey de Grabow & Sulima, Nicolaus Chrzaſtowski de Strzegomia, Ioãnes Nos de Dobykovv, & quidẽ omnes hi tres de armis Bipennium, Skarbek de Gory de familia Habdanck, Dzyk de Kadlub, Nicola⁹ Bielavvski de Kozlerogi, Stanislaus

Ielito de Doliwa, Bartholomeus Plomykowski de domo Wieniawa, Zaklika Korzekwicki de Srokónicá, Kryſtinus Magero de Goworcizow de armis Rawa, Ioannes Soczycki de Doliwa, Dobeslaus Olevvinski de domo Oſtoia, Dobeslaus Okvvia de familia Wieniavva, Ioannes Rey de Xiaglovviczé de armis Okſza, Alexander Gorayski de Cyphis, Kazimirus de Tuchovviec de domo Zgraia, Zrzymala Zerzvvicki, Iohannes Czeluſtka Martinus de Vroczymovvice de domo Pokuca, Vexillifer Cracouienſis, Andreas Brochocki de Oſſoria, Suantopelk de Zavvada de Vulpibus, Iohannes Grzymalka, Budek de Zaborze, Slanka de Budka; Nicolaus Borovviec, Ioannes Leon, & alii quam plurimi quos factu eſt incredibile ſingulos enumerare potuiſſe. Dimicatum porro eſt decima & octau Octob. die: nec mora iis qui in prælio occiſi vtrinque fuerant conſepultis, & præda minutatim collecta, quam poſtea Bidgoſtiæ partiti inter ſe fuerant, caſtra ex eo loco vlterius mota &

cum

cum longo captiuorum numero Ginou lodislauiam ad Regem eſt peruentum. Erat ille in ſuos munificentiſſimus, ſicuti quidem nullæ Regum maioris ſunt alæ, quam in bene meritos liberalitas, etiã aliquando prodigalitate viciata. Immenſæ quippe Regum ſunt opes, quæ recte & ſcienter collocatæ haud ita facile exhauriuntur. Itaque non ſolum milites ſuos muneribus & amplis donis affecit, ſed & captiuos refecit etiam ipſos epulo; & ſponſione militari obſtrictos ac large donatos, ad ſuos libere reuerti permiſit; vno illo Chochmaiſtro excepto; quem, quod aliorum Dux fuerat, viſum eſt eum aliquandiu ſub cuſtodia detinere. Sed nec illud quidem Crucigerorum animos emolliuit; qui adeo obſtinatiores facti, & Regi & ipſius exercitui non parũ negotii faceſſerũt. Subornarant quippe Crucigeri transfugas Polonos, aut certe Crucigerorũ, qui linguã Polonicã exactiſſime ſciuerant aliquos, qui ad Coronouiã Polonos ad vnum omnes occiſos, Ioanni Brogolouio Tucholien præfecto nunciarent.

Qui quantumuis licet non insulsus homo fuerat, verba sibi nihilominus à Crucigeris dari permisit, & certis cōditionib. Tuchola data, Regi suo non vsquequaq; integram fidem, vel hac ipsa imprudentia conseruauit; à quo stratagemate cum auctior Crucigerorū exercitus reddi quotidie magis videretur, & cum è Tucholia tanquā ex aliquo non importuno propugnaculo in Poloniā fieri posse incursionē Rex vereretur; nouam expeditionē maiori Poloniæ indixit, & Schafranecio Duce cum aulico comitatu iūctam Tucholiam vsq; perduxit. Hic cum sexcentos balistarios in loco oportuno insidiis structis forte præmisisset, factum est, vt tantum non caperet eos, qui voluntariā apud Crucigeros susceperāt militiam, & illustri loco nati, Dux Minsterburgen. vnus, & Episcopus Virspurgen. alter, vulgo dicebantur. Atq; his ita omnib. feliciter peractis totus Regius exercitus, preter aulicorū cohortē, domum dilapsus, Plaueniū noua in Prussia moliri incipientem confirmauit. Miserant Torunen. & Gedanen. ad Regē

tum temporis auxilium eius imploratū; quod nisi cito affuisset, deditionem hosti se facturos profitebantur. Verum cum Rex breui se illis succurrere velle polliceretur, & adeo etiam auxilia iam expediuisset; ecce rursus illi ad Regem mittunt, se aliter facere non potuisse, quā vt deditio ex necessitate volentibus nolētibusq; illis tandem subsequeretur. Ægerrime id Rex totusq; exercitus tulit, nihilq; antiquius quam vt veluti illusionem illam quandā vlcisceretur habuit. Verumenimuero re paulo post considerata maturius, reiectoq; eorum qui legatos detinendos censuerant consilio, non suam illis, sed eorū sibi fidem defuisse testatus, hæc similiaq; contempsit. Maior enim condonantis, quam iniuriam facientis animi est magnitudo. Itaq; cū ex Prussia reuertens primū quidem Ginouludislauiā venisset, postea Gnesnam ad D. Adalberti sepulchrum, & deniq; Poznaniā sese contulit, & illius orę nobilitatem ad bellū Pomeranię inferendum excitauit. Quod Sendiuogii Ostrorii Palatini Poznanien. ductu gestum, Po-

meraniam omnem pagorum & agrorum rapinis & incendiis, munitionum oppugnatione posthabita vehemēter percussit: & magnis inustis calamitatib. passim & vbiq; labefactauit. Quæ quidem dum à Rege eiusque copiis forte gerebantur, vt semper inter vicinos fuerit ęmulatio, nūciatum ex Polonia est; Sigismundum Cęsarem & Hungariæ Bohemiæque Regem, vt promissis quæ Crucigeris fecerat staret, qui illi quadraginta aureûm nūmûm millia forte numerauerant, Poloniam inuasisse; & Sciborium Palatinū Transyluaniæ cum exercitu immisisse; qui ex Morauis, Austriis, & Bohemis solis Hungaris exceptis constiterant, qꝫ Hungari arma se in Polonos ex fœdere nō posse ferre causabantur; sed hęc quoq; expeditio maiori cū reuertebantur hostiū, quam Polonorū subsecuta est detrimento. Bella enim non sapiēter ante prouisa, in ipsorummet cladem cedunt postea auctorum. Qua forte ex occasione pax denuo cum Crucigeris est tractata; & ad tractationem octaua Septēbris dies Raciazii præstituta. Quo

fere etiam tempore aliam item memorabilem victoriam, de Crucigeris Liuonien. Vladislaus Poloniæ Rex est consecutus. Didicerant Poloni Hermanuum Liuonien Crucigerorum magistrum cum non condemnendis ex Germania & Bohemia copiis in Prussiã aduenisse; iisq; Golubiæ relictis in ipsum Mariemburgum, ad communicanda de bello contra Polonos consilia proficisci. Qua propter quidam facinus audax ausi, Dobeslao Puchala, gente Vieniauo ductore, hostem armis virisque petunt superiorem, & insidiis commode dispositis sub Golubia se conspici patiuntur. Id non tam cito à Crucigeris animaduersum fuit, vt non nemo ex iis prosiliens, & ad capienda arma ac Polonos occidendos acclamauit. Sed non peræque sẽper, quod mente & oratione fingis re præstas derepente. Nam Crucigeri ex nimio ardore locum insidiarum subito prætergressi Polonos conspicatos aggrediuntur; mox Puchala suis auxilium opportune ferens. Crucigeros, cum vtroque exercitui resistere nõ possent, profligauit:

qui dum effuse vim persequentium se fugiebant, etiam à suis portis exclusi sunt, & in manus Polonorum, quibus quadruplo plures erant, peruenerunt. Hac victoria subsecuta, & animis viribusq; Crucigerorum fractis, nihilominus Vladislaus Rex à feriendo cum iis fœdere, vt erat mansuetissimus, non abhorruit: sed Vitoudus, vt vario multiplicíq; habebatur ingenio, id quodam modo dissuasisse memoratur. Nam cum Rex circumuallare Toruniam cogitaret, cuius mœnibus Crucigerorum magister eorumq; præcipui continebantur; Vitoudus spe pacis iniecta, victoribus quam victis iniquiorem reddidit pacẽ, & his conditionib. vt iniretur persuasit. Primum quidẽ vt Samogitia Regi & Vitoudo quoad viuerẽt, per Crucigeros concederetur. Deinde, vt ducenta florenorũ millia intra annũ, diuisim ter, Regi numerarent. Tertio, vt Zemouito Masouiorum Duci, Safcerense territoriũ redderet. Ex aduerso restitueret Rex omnia, quæ de Crucigeris cœperat, Dobrinum posſideret, captiuos redderet, de Drecio & Suantopel

co,

co,aliorum decreto ſtaret; quod ſi minus ſententia placuiſſet ad Pont.Max. prouocaret. His conditionib. magiſtro Crucigerorum ipſo in caſtra Regia veniente, & ſtipulatione vtrinque interpoſita,ſed vel maxime Vitoudi cõſilio & opera, pax illa ſancita memoratur: à qua inconſulto Senatu,Podoliam quoque Vitoudo Rex donauit,frementib. cunctis, & in Vitoudum culpam coniicientibus, q̧ non bona fide & cum Rege & cum Polonis ſatis egiſſet. Vladislaus vero Rex in Poloniã reuerſus, & dimiſſo quẽ coadunarat exercitu, Alexandrũ Valachię Palatinũ,prius quoq; ſibi fœderatũ, ſed vel denuo cõtra Hungaros nouo fœdere obſtrictum,ſibi ſociauit, toto Pokucien. tractu mille ciclis argenti ipſi oppignorato. Quib. reb⁹ confectis,& ad Pontificẽ Maximũ; qui Alexandro ſucceſſerat quinto, Legatis cum ampliſſimis munerib. miſsis, in Lithuaniã à qua tandiu ęgerrime abfuerat, tandẽ ſeceſſit. Atq; hi quidẽ Legati viri vndiquaq; ornatiſsimi nihil aliud Romę petierãt, quam vt eas ſacras res, quas Vladisl. bello Prutenico tẽ-

plis Crucigerorum ademiſſet, ſuis vero intuliſſet Pont. Max. approbare, & Crucis militiam contra Tartaros Crucis hoſtes, & Moſchos ſchiſmaticos concedere non grauaretur. Quorum vnum conceſſum; alterum militia Crucis, Sigiſmundi Cæſaris & Crucigerorum Legatis impedientibus, ne forte Poloni contra Chriſtianos ea vterentur, aperte eſt denegata. Sic propter friuolas ſępe ſuſpitiones, piorum conatuũ cœpta impediuntur. Rex interim ex Lithuania rediens, & religionis ergo magnis itineribus pedibus emenſis Cracouiam venit, & quinquaginta ſigna militaria ex triumpho Pruſſiæ allata in Baſilica eiuſdem ad memoriam poſteritatis collocauit. Quo fere etiam tempore Erneſtus Archidux Auſtriæ Guilhelmi, qui repulſam in cõpetitione cum eo tulerat regni & Friderici III. Cæſaris pater nuptiarũ cauſa Cracouiæ conſpectus eſt, cũ Cymbarkam Maſouiorum Ducis filiam, eiuſdẽ Friderici genitricem debebat ducere in vxorem quam in genecio Regis Hungarię ſemel viſam cœperat deperire.

Sed ſuperuenit pariter & Venetorũ legatio quæ in quingentos haſtatos Polonos, amplum ſtipendium, ſi Rex Sigiſmundũ in Hungaria regnãtem bello deſtruere voluiſſet offerebat. Cui legationi Sigiſmundus ipſe occurrens BrundãCardinalem & Sciborium Palatinum Tranſyluaniæ Oratores in Poloniam miſit, Regis cũ Sigiſmundo congreſſum poſtularum. Renuebat initio Vladislaus id facere, toties iam à Sigiſmundo circumuentus. Sed poſtremo tandem magis vxori ſuæ cuius ſororem habuerat quã Sigiſmũdo gratificare volens Luboulia venit. Cui Sigiſmũdus vſq; ad iugum montis obuiã factus eũ maxime honorauit. Verum cum octiduo variis cõſultationibus eſſet cõſumptũ, iamq; Vladislaus apparabat abitum, cũ mox à Sigiſmundo ad priuatum euocatus colloquium, tandẽ precibus pollicitationibusq; magnis ab eo victus, ſic pacem firmaſſe cum eo memoratur: Sigiſmũdus & Vladislaus & Vitoudus ſimul contra Crucigeros ex Pruſſia pellendos in vnum cõſpirarẽt. De Ruſſia, Podolia, Valachia,

nulla mentio inter viuos fieret; Valachia Hungaros contra Turcam bellũ gerentes & Polonico bello non implicatos adiuuaret. Quæ vt erat callido ingenio, omnia vafre à Sigiſmundo Cæſare cum Vladislao Polonorum Rege perpetuo agebantur. A quo maximis etiã id impetrauit precibꝰ, vt nulla in diplomate Crucigerorũ extaret mentio, legatis præſertim ipſorũ in aula eius præſentib. quos emungere argẽto quauis arte cogitabat. Atq; ita quidẽ ab optimo Principe id etiam obtinuit, vt in penitiora Hungariȩ in venationes cũ Sigiſmundo proficiſceretur. Venerat tũ Budam Tartarorum ad Vladislaum legatio, quæ ei apud exteros maximũ conciliauerat nomen, & adeo etiam admirationem. Nam hi contra omnes omnium nominũ Polonorum hoſtes verbis ampliſſimis auxilia ipſi promittebant. Qui poſtquam ſemeſtre in Hungaria, nunc huius nunc illius rei ſpe vana à Sigiſmũdo lactatus fuiſſet; poſtremo tamen ab eo Corona, Sceptro, & aureo Pomo, & Boleslai Chobri primi Polonorum Regis gladio, quȩ Eli-

zabeta

zabeta Regina in Hungariā olim aliquando aſportarat, potitus extitiſſet, per Morauiam in Poloniā eſt reuerſus; dignus qui nō ſolum Lithuanorū Apoſtolus, ſed etiā martyr quodā modo, tot iniuriis & dolis, nunc à Crucigeris, nunc à Sigiſmundo Cæſare affectus diceret. Qui tantū, abeſt vt Crucigeros vt promiſerat cum eo vltus fuiſſet, quod etiā acrius & vehementius bellum contra eū excitauit. Ac non multo deniq; poſt mutui nomine ab eo pecuniam poſtulauit; quam Vladislaus liberaliter denuo dedit, & Scepuſienſem tractum pignoris nomine pro octoginta florenorum millibus accepit Quæ nimirum oppida in hanc vſq; diem, non Hungarorum amplius, ſed Polonorum iuris ſemper cenſentur. De quibus rebus omnibus quomodo geſtæ fuerant, Vitoudum patruelem fratrem Rex apud Rodlum in conuentu reddiderat certiorem. Erat cōuentus ille Polonorum Lithuanorumq; pariter interuentu frequentiſſimus, & ad vniendam Poloniæ Lithuaniam grauiſſimo conſilio & ordinum conſenſu conſti-

tutus.

tutus. Quo absoluto, & primoribus Lithuanis insignibus datis, in Samogitiam ad gentem illam à reliquo falsorum Deorum cultu amouendam præpropere est profectus. Semper enim in gente agresti & inculta superstitionum restant aliquæ reliquiæ: Quibus ille extirpandis non modo vigilantissimi Regis, sed etiam religiosissimi Doctoris vices expleuit: & apud Medincos Episcopum constituit; & reditibus tam Episcopatum ipsum, quam ipsius Canonicos large locupletauit. Annus quo hæc fuerant à partu Virginis tertius & decimus numerabatur: quo exacto, & Kesgelono Samogitiæ præfecto ad diẽ pace cum Crucigeris sanciendæ præstitutum Schlonscum est profectus. Erat iam tum temporis Henricus Plauenius, siue propter largitionem nimiam, siue (vt inter pares facile euenit inuidiam) ab homine præcipitis ambitionis & naturæ efferatæ Chochmaistero dignitate spoliatus. Quod cum ad eius fratrem Commendatorem Gedanen. esset perlatum, & idem ipse quoq; metuens, fugam ex Prus-

ſia dedit, & ad Regem Vladislaum in Poloniam ſaluus peruenit. Idem & Henricum ſi non potuiſſe, ſaltem voluiſſe facere fama ferebatur, niſi Kropidlo Vladislauien. Epiſcopus, cui Rex id communi cauerat, eum prodidiſſet. Diſcant interim communicare arcana etiam intimis Reges, & potius ſui quam velnit eſſe prodentis. Pace quidem cum Crucigeris tentata, ſed non confecta, & cauſa tota ab Archiepiſcopo Strigonien. inique diſceptata cum Crucigeri rapinis & iniuriis Poloniæ inferendis nunquam ſatiarentur, rurſus expeditionem regni & Lithuaniæ Rex decreuit. Dictu fere incredibile eſt, quantus hominum numerus ad Vladislaum confluxerit, ex Polonia, Ruſſia & Maſouia, ex Lithuania & Scythia, ex Bohemia & Sileſia, ſub aliquot Sileſię Ducibus, qui voluntarie ſub Poloniæ Rege venerant militatum: adeo vt non ſolum ad Crucigeros domandos, ſed potentiſſimos quoque Reges & populos profligandos illa expeditio ſuffeciſſet. Quo quidem exercitu in hoſticum ab Vladislao perducto,

multa passim oppida per deditionē capta, multa vi expugnata, multa rura, & id genus alia incensa & euersa memorantur; solus Episcopus Varmien. cum se Regi supplicem obtulisset, expers illius fuerat calamitatis. Iamq; Culmam & Toruniam castra moturus Rex videbatur, quorū oppidorum capiendorū spes ei non modica fuerat facta; cum subito Crucigerorū magister arte quadam eum elusit. Miserat ille forte tabellarium, per quem Commendatoris Brodnicen. cōfictas dedit ad se literas: quib. Cōmendator milite & cōmeatu se destitutū faciebat eum certiorem: q̄ si grauius aliquid ingruisset deditionē facturum se Regi non obscure denunciabat. His refractis literis alio se conuertit, & Brodniciam obsidione cinxit: quæ cum in mēsem durauisset, Vitoudus frustra renitente Rege discessit; quē non nemo Polonorū quoque subsecutus, eidem longiori oppugnationi reclamauit. Sed vnū illud vel maxime Crucigeros iuuit, q̄ Ioannes Lausanen. Episcopus Pont. Max. Legatus, in biennium pacem pro ipsis impetrauit,

& vt interim Constantien. Concilii decreto, quod tum celebrari erat cœptũ, inter Regem & Crucigeros ea cõtrouersia permitteretur. Itaq; reuersus in Poloniam ab ea expeditione Vladislaus, de amplissimi Concilii sententia Legatos Constantiam misit. Quo etiam Sigismundus Cæsar ipse profecturus, operam suam promisit: quã fidè tempus postea declarauit. Nam ne tum quidem Polonico nomini & sanguini fauit, ac Ducem quendam Legnicen. ex antiquissima Regum Polonorum stirpe ortum, cum Cæsarem ad se inuitasset, quo se turpius daret, ligna vendere prohibuit; quibus ille neglectis, ac carbonibus in culina adhibitis, magnifico epulo exhibẽdo expectationẽ eius superauit. Sed ad narrationis nostræ curriculum nos reuertamur. Vladislaus ergo Rex vniuersa Polonia & Lithuania celeriter peragrata, Alexandrũ Valachiæ Palatinũ, splendidissimo cũ comitatu ad se venientẽ excepit; & cum iureiurandum verbis conceptis præstitisset, in Regni Polonici fide nõ inuitus conseruauit. Quo etiam tempore

à Cæsare & Patriarcha Constantinopolitano legatio ad ipsum venit, cui petenti gratificaturus in Cacibeco portu Pontici maris, qui tum Polonorũ fuerat potestatis, frumentum est admensus. Atq; ita postea in Lithuaniam diuertens, cum Crucigeris, Prussicis & Liuonien. de regundis Prussiæ & Samagitiæ finibus conuentum celebrauit. Non remiserant illi de pristina ferocia sua vel tantillum, imo semper ingrati, & acceptorum à Rege beneficiorũ immemores habebantur. Difficile quippe cœptis est desuescere, & lupo vitium potius quam pilum immutare. Non multum autẽ effluxerat tẽporis, ex quo ingẽs Tartarorũ Kiouiã inuaserat multitudo, ita vt non solum Kiouiæ, sed vniuersæ regioni illi magnam inusserit calamitatem. Quam iniuriam cum forte vlturus Rex Vladislaus videretur, Anna Regina paulo ante Cracouiæ mortua, omnium iudicio ętate, dignitateq; sua haud dignas nuptias Sanoci celebrauit. Quod siue intẽpestiuo & quasi cœco amore fœminæ, siue demoniacis artibus cõflatũ fuerat, hãc certe de

ſe famam illud connubium tum temporis reliquerat .Erat Elizabeta Pilecia Ottonis Palatini Sendomirien. filia vidua, quæ nec iuuenis, nec admodũ compta, & complurium coniugum thoros identidem erat experta. Hæc antequam adhuc nuberet, ſpe poſſeſſionũ prædiorumq; multorum, à Morauo quodam rapta, & huic paulo etiãpoſt vi erepta, & priori raptore occiſo, loco legitimæ coniugis habita, poſtremo quidẽ omniũ Vincentio Granouio, Caſtellano Naklen. gente Bipeñiũ, Spytkone Melſtinio eius propinquo deſpondente, in matrimonium erat elocata. Quã Vladislaus Rex, nihil hæc ſimiliaq; moratus, & illud quoq;, quod ipſius quaſi mater ad ſacrum fontem cum ablueretur Cracouiæ ipſi aſtiterat, oblitus, importunis eius precibus concilio tũ tẽporis annuente, in thori regniq; ſociã ſibi aſciuit; & fruſtra aliquibus Poloniæ proceribus matrimonium illud irritum facere volentibus, Regio diademate Cracouiæ inſignivit. Abierat tũ ad Cõciliũ in legatione profectus Gneſnẽ. à Polonia Archiepiſco-

pus, cuius loco Resouius Leopolien. Archiepiscopus Reginam Annam in eadem illa Cracouia solenni ritu inaugurauit: quod ne fraudi Archiepiscopo Gnesnen. fieret, vtq; Primas regni esset, facile à Cõc. obtinuit. Qui tam egregiis ornamentis animi & ingenii, & singulari presertim liberalitate præditus fuerat, vt de eo in Pont. Max. Constantię creando, in illa dissidentium Patrum discordia, agitatũ fuisse memoretur. Quod vel inde etiam patuit, ꝙ Monachum quendã, de Poloniæ Rege & regno iniuriosa carmina spargentẽ, in te trum carcerẽ coniici auctoritate sua fecerit; & inter Anglorũ Galliarumq; Reges dissensiones sopierit, non solum scienter, sed etiam animose. Atq; hæc quidẽ dum extra Poloniã ita agebantur, in Polonia etiã Cæsare, & Gallorũ Rege postulantib. cum Crucigeris induciæ in bienniũ prorogantur; vnde in Samagitia ab Vladislao Rege magno procerũ Polonorũ comitatu stipato, cõuentus cum Crucigeris forte etiã est celebratus, ex quo in Poloniã reuertens, anno Dñi post mille quadringen-

tesi-

tesimũ quarto & decimo Pont. Max. Legatos duos habuit obuios, Iacobum Campum Spoletanum, & Ferdinandũ Hispanum, Lucen. Episcopos, qui de pace cum Crucigeris stabilienda ad eum venerant postulatum. Verũ illi corrupti, vt creditũ est, Crucigerorum muneribus, postquam aliquandiu in Polonia comiter habiti fuissent, in Prussiam proficiscuntur; & Regiã causam lubrico & præcipiti suo iudicio interuertunt. De quibus apud Pont. Max. Vladislaus questus, vt documenta causæ suæ denuo protulisset, est consecutus. Sed interim à Cęsare Sigismundo Cassouiam ex Polonia blande vocatus, & eum inter se ac Crucigeros arbitrum passus, denuo ab eodem est circumscriptus. Succensere is in speciem Crucigeris videbatur, quod eum arbitrum eodem modo pati quodã modo recusabant. Quod ita vafre agebat, vt Vladislaus Rex multa sibi de eo pollicitus vix non Sepusiũ ære non accepto ipsimet restituere cogitaret; si Polonorũ Procerũ auctoritate & consilio nón fuisset retractus. Qui discedens à Sigismũdo ad de-

ducenda quæ sibi promiserat contra Crucigeros auxilia, Zbigneum de Brzezie Marschalcum penes eum reliquerat: qui & ipse, eius astu & fallaciis cognitis, post paucos dies discessit, & Regem ad prosequendum in Crucigeros bellum tanto vehementius excitauit. Iam Regiæ copiæ ad Volboriam confluxerant, & magnis itineribus per Masouiam ad hosticum peruenerant, cum è vestigio Capra Mediolanen. Archiepiscopus Cæsaris Legatus dirimendi eius belli inter Polonos & Crucigeros missus ad eum superuenit, & Vitoudi opera ex Cæsaris mandato vsus, de induciis cum Rege agere non dubitauit. Resistebat ille huic rei initio, & omnibus in idem consentientibus tot tantosque bellicos apparatus in cassum abire apud se non facile patiebatur. Sed tandem precibus victus in aliud biennium prorogauit inducias, & ad octauam Ianuarii diem tempus compromisso præstitutum, frementibus passim & vbiq; quam plurimis, & in Regium Cancellarium culpam conicientibus, qui postea tota vita

ſua maxima Nobilitatis inuidia ſemper flagrauit. Primi enim conſiliorum auctores primum & potiſſimum vulgo etiam odium plerumque cōſequuntur. Iam & eodem illo tempore cum Erico Sueciȩ, Daniæ & Noruegiæ Rege, publice ab Vladislao & Vitoudo contra omnes omnium nominum hoſtes, ſpecialiter vero contra Crucigeros fœdus eſt percuſſum. Ex quo bello Vladislaum redeuntem admirabilis quidam caſus magnopere perculit; ac horrendæ cuiuſdam diuinæ in ſontes punitionis ſignum quodam modo declarauit. Poznania is Zrzodam verſus carpento vehebatur, cum ſubito ſub veſperum è ſereno atris nubibus cœlum obduci eſt cœptum, & mox fulmen magno fragore delapſum, quadrigas carpento iunctas, duoſque ſatellites Regios, itemque Poznanien. & Sendomirienſis Palatinorum, ac nouem aliorum Regiorum comitum equos, vna cum Regio, cui puer quidam haſtam in manu inſidens portabat, vno eodemq; ictu interfecit; aurigis & equorum ſeſſoribus ſaluis: puero tantum

vni vestis fuit discissa, Regi etiã ipsi, præterquod aliquãdiu semiuiuus iacuisset, & surdaster aliquot diebus factus fuisset, nihil prorsus damni est illatum: sed tamen propter incestum matrimoniũ diuinitus non tam quidem punitus, quam monitus procul dubio cẽsebatᷣ. Magnopere namq; in sene & maxime Rege lasciuus animus, & ad libidinem notatur pronus, qui præstat vt suapte missam faciat, quã deiectum virib. obstinatũ deserat potius turpitudo. Ad quem paulo post, prius tamen sibi aditu & colloquio impetrato, Sigismundus Cæsar Sandeciã venit: & cum animo esset distracto, vtrũ Turcicum bellũ prosequi, an Bohemiã post Venceslai fratris obitũ Husitana Religione & domestica seditione æstuantẽ recuperare debuisset, Vladislaus promissis etiã in Hęreticos auxiliis ad Bohemiam quauis ratione domandam ipsum confirmauit. Qui Pragam cum exercitu veniens, cum non exiguã cladẽ passus fuisset, secessit postea Vradislauiã, vbi eũ Vladislai, & Crucigerorũ legati forte fortuna expectabant. Quos Cæsar veteri

illo suo odio prosecutus, & vt simul Crucigeris gratificaretur, non solũ disceptata, sed nec quidẽ cogitata prius, ex scheda quam ex pera depromserant, legatis Vladislai frustra reclamantib⁹, audacter pronunciauit, nimirũ, vt decreto Pont. Max. Legatorum abolito Caroli IIII. & Ioannis Bohemiæ Regis sententię staretur, pactaq; apud Toruniam icta, quę Crucigeri iã pridem violauerant, rata firmaq; haberẽtur. Id quidem tam molestum Regis Vladislai legatis fuerat, vt inuito, insalutatoq; Cæsare & mitigationem decreti promittente, ab eo discederẽt; & Vladislaum, qui in Lithuania cũ Vitoudo in venationib⁹ fuerat, facerent certiorem: qui eo vehemẽtissime indoluit, & Zbigneum Olesnicium, qui ingratum eius animum, & adeo etiã perfidiã, & malitiã ipsi exprobraret, in Hungariã ad Cæsarem ablegauit. Fecit Olesnicius q̃ debuit, & Vladislaum non eius decreto morẽ gesturum denũciauit. At ille vicissim ita excanduit, vt cum quodã Vitoudi legato, Cibula dicto, in Danubium ex arce Pudẽ. præcipitare se vel e ũ

mina-

minaretur. Quod procul omni dubio forsitan etiam præstitisset, nisi tot ad eius latus sedentes Episcopi ius gentiũ violandũ non esse testificati, hominẽ iracundia percitum, & dignitatis suæ oblitum, retraxissent. Nihil enim iracundo amentius est aliquando, qui nimium quid de ipso se ꝙ non est opinatur. Neq; tamẽ multũ effluxerat postea tẽporis, ex quo Cæsar errore suo tandem agnito, duos & ipse legatos ad Regem & Vitoudum misit; & quod nõ malitia, sed imprudentia & Crucigerorũ dolo lapsus illud fecisset excusauit: sed vel post hanc excusationem etiam ipsam, cum denuo Episcopum Cracouien. & Marschalcũ regni ad eum Vladislaus misisset, non multo dissimilem sui idem Imperator se declarauit. Vnde consultatũ in Senatu fuerat vtrum Cæsaris decreto parendũ, an vero bellũ Crucigeris inferẽdũ potius expediuisset? Sed occasionẽ belli interim expectare placuit: quę desiderata, cũ Crucigeri solutionẽ pecuniæ nõ pręstitissent, & pro nũmis argẽtea vasa attulissẽt, paulo post superuenit. Neq; tamen etiam

tum

tum ad arma in eos capienda ſubito eſt properatum. Semper enim capiendis, ſed non ſemper deponendis armis facultas & occaſio æque offertur. Per id autem dum hæc ita agebantur tempus, habita ſunt Lanciciæ Comitia, & parum abfuit quo minus grauis quædam suboriretur ſedi tio, Elizabeta Regina in Albertum Epiſcopum Cracouien. quod ipſius nuptiis aduerſabatur, Regẽ Vladislaum inſtigan te: ſed peroportune quidem acciderat, quod eadem illa vitam cum morte commutauit. Multum enim cuiuſuis nominis & conditionis, ſed omnium poſſunt plurimum Regii diurni nocturnique conſultores. Regina ergo interim mortua, paruo negotio Ioannes Tarnouius Epiſcopum Regi reconciliauit, & pullulantes domeſticos motus peroportune trãquillauit. Iam fama erat, à Bohemis fuſo fugatoque Cæſare Sigiſmundo, qui ſola maieſtate apud Hungaros aliquando ſe defenderat, regnum Bohemiæ ad Vladiſlaum deferri, nec deerant, qui ea occaſione potentem impotentis animi hoſtem

vlciſ

viciscendū rearentur. Pluriū tamen sententia fuerat; vt Regnum, quod pestifero dogmate infectum, & domesticis dissidiis ac bellis implicatum æstuabat, Rex potius non acciperet, quam accepto Sigismundum Cæsarem, ad quem hæreditario iure spectabat, in se suosq; concitaret. Præstat enim ex inimico amicum, quā vel ex occulto sibi hoste facere tandē apertum. Parte igitur Legatorū Bohemicorum ad Vitoudum profecta, sine cuius consilio nihil se facturum Iagello dixerat: pars altera Nepolomiciis apud Regē mãsit; quibus & sumptus large fuerunt suppeditati, ne propter Hæreticorum Cracouiæ præsentiam sacris supersederetur. Verū paulo post ex Lithuania à Vitoudo Legatis reuersis, nulla recipiendi regni spe relicta, in Bohemiam redeundi facultas est data. Quæ eadē anni insequentis principio postulata apud Regem denuo vtiq; repetierunt; & illud adeo addiderūt; Si Rex Bohemiæ regnum non acciperet, Vitoudo se illos delaturum. Quos Vitoudus diu suspensos tenuit, sed indictis

demũ, ex vtriusq; Vladislai Regis & Vitoudi censensu, Lublini pro Calend Sep. comitiis, haud priori admodum contrariũ respõsum Legati Bohemici retulerũt; eo tantum adiecto; Catholici si esse vellent, alterutrum eorum votis assensurum sibi pollicerentur. Quibus in Bohemiam profectis, Vladislaus ad Sigismundũ Cæsarẽ suos legatos in Hungariã ablegauit; qui modeste Vladislai in eũ meritis cõmemoratis, vicissimq; eius iniuriis Vladislao factis recensitis, Vladislaum in eius amicitia nihilominus perstare perstiturumq; semper declararent. Grata hæc legatio Sigismundo fuit; qua audita, vnicã quam habuit filiam Regni Hungarici & Bohemici hæredẽ Sigismundus Cæsar Vladislao Poloniæ Regi vltro obtulit. Quod si minus probaretur, Agatam viduam, quæ Vẽceslai eius fratris fuerat coniũx, simul cum Silesia dotis nomine est pollicitus. Hæc quidem vt ad Vladislaum Regem sunt perlata, missus est Sigismundi Cæsaris Legatorum ad Vitoudum in Lithuaniam vnus; vt consilia illa ipsi quoq; communi-

municaſſet, & mox de ampliſſimi Senatus ſententia; Zavviſchus Niger illius, qui ad Nicopolim ceciderat, frater, ob Agathæ connubium denuo ad Sigiſmundum eſt ablegatus. Qui cum Sigiſmundum bello tum Bohemico diſtentum diutius opinione ſequeretur, in quodam Bohemiæ oppido ab Huſſitanis captus, & carceri Pragæ eſt mancipatus. Neſcit enim iuris gentium obſeruare fœdus, qui imprimis Dei Opt. Max. tum & ſui fuerit oblitus. Ab eo tempore Rex Poloniæ Vladislaus, cum Friderico Brandenburgen. Marchione, filia vnica eius filio Friderico natu maiori, pro quo Burggrauius Norimbergen. cum hactenus extitiſſet, Marchiam Brandenburgen. ſeptingentis, vt vocant, argenti marcis emerat, certis quibuſdam conditionibus, nec ſatis laudatis iniuit affinitatem. Nam dotale illi volebat dare cum filia regnum, modo in aula Polonica, & à Polonis educaretur: & ſi interim mortuus Fridericus fuiſſet, Marchia à Polonis poſſideretur. Sed vt hæc omnia inconſulto Senatu, & in ſpem

auxilo-

auxiliorum contra Crucigeros obtinendorum faciebat; ita cum ad rem ventum est, promissa illa, quibus, quod culinæ Regiæ currum Crucigeri à tergo trahere debebant, Marchio pollicitus fuerat, irrita facta sunt; & Crucigeri optatas iam pridem inducias nihil proficiente à Pontifice Max. Legato obtinuerunt. Is enim non modo iuris, sed & iustitiæ consultus, Roma aduenerat; ex æquo & bono pacē inter dissidentes in perpetuum sanciturus. Quæ fiebant supra mille quadringentesimum anno vigesimo secundo. Quo eodē Vladislaus necquicquam reclamantibus Poloniæ Ordinibus diu multumque Sigismundi Cæsaris responso, & suo Legato Zawischa expectato, cum Zonca Russa, quæ Zophia dicebatur, Andreæ Kiouien. Ducis filia, Vitoudo auctore ad quartas nuptias denuo conuolauit. Habent hoc enim senes, vt cum cœperint iterandis nuptiis, velint videri iuuenes ad omnem perpetuitatem. A quo demum connubio non diu in Lithuania, vbi celebratæ fuerant, moratus; in Poloniam

ſui ipſius maxime obſeruãtem, & cum nec ius Reges ſuos tollerantem tandem eſt reuerſus. Cui ampliſſimus quidam Ducis de Monte Legatus, cuius ditio vltra Rhenũ Burgundię finitima fuerat obuiam factus, vt eum in fidem & patrocinium ſuum reciperet enixe poſtulauit. Cui tum temporis id reſponſi datum: Ducis voluntatem Regi & regno longe eſſe gratiſſimam, ſed neutri parti expedire, vt aliqua pacta & pactiones propter immẽſam locorum diſtantiam inter eos ſancirentur. Hinc ab ordine Eccleſiaſtico pecunia per Regem etiã flagitata, ſed ne daretur, conſtitutũ; niſi cũ aut in hæreticos, aut contra Chriſti hoſtes arma forte ſumerentur. Interea vero temporis, pręter ſpem & expectationem omnem, bellum contra Crucigeros denuo eſt proclamatũ: qui non tam adeo ſua voluntate, quã Cæſaris Sigiſmundi inſtinctu, in Poloniã irruptione facta, vehementiſsime graſſabãtur. Nã idem ille Cęſar, qui toties iã Regẽ offenderat, Vitoudi facto, qui Coributum in Bohemiã contra eum immiſiſse ferebatur, offenſus; literas

ad

ad Crucigeros dederat, eatenus ferirent cum Polonis fœdus, quatenus aut Pont. Max. aut Cæsari placuisset. Quæ quidem literæ, apud quendam mendicum mortuum, thoraci insutæ, Conini adinuentæ, Polonorum animos magis atq; magis in Cæsarem & Crucigeros irritarũt. Omnia enĩ bella nobis sũt submolesta, sed fraude ac dolo tecta molestissima. Maximo ergo exercitu Poloni vndiquaq; collecto, tanquam ad prælium certũ ituri agmine stabili hosticum sunt ingressi. Iam Crucigeri quoq; ad triginta equitum peditumque millia sortiebantur, multo tamen maior Vladislai fuerat exercitus, qui centum & triginta milliũ numerum bellatorum excedebat. Quo factum, cum ingentes vndiquaq; prædas Poloni agerent, & Crucigeri vastare sua ægerrime paterentur, parũ tandẽ abfuit, quo minus vnius diei prælio tota res cõmitteretur. Quod Conradus Nemciccius inter Crucigeros vir grauissimus, & bellãdi experiẽtissimus, cũ periculosissimũ esse vidisset, suos ab eo cõsilio serio est dehortatus; & paruerũt q. dẽ Cru

cigeri pro re & tempore prudenter illos admonenti; sed cum ad munitionum defensionem hinc & inde dilaberentur, Poloni tandem arcibus aliquot interceptis, quadringentos eorum milites cum quindecim Crucigeris ceperunt, & in vincula coniecerunt. Quæ dum ita gerebantur, Carboniē. Episcopus legatus Cæsaris cū amplissimis mandatis superuenit, Coributum ex Bohemia vt euocaret, pacē cū Crucigeris iniret, Cæsaris sententia, quæ corrigi posset, ne offenderetur postulatū. Huic respōsum Vladislao Regis nomine tale datum: Cæsaris fidem haud esse incognitam, neque tamen eius decretum quamlibet iniquissimum respuere Regē voluisse, nisi Crucigeri ipsi vltro illud violassent. Inducias cum iis prorogari eū voluisse, si de eorum fraude ex literis Cæsaris interceptis non constitisset. Necessitatē Regi impositam sua armis recuperandi: Coributum non sine mandato in Bohemiam profectum. Aderat Vitoudus ipse legationi præsens, qui simulacq; Coributi audisset fieri mentionem: Ego, inquit, cū

misi, neq; me eius pœnitet facti; vt Cæsar intelligat, sub specie amicitiæ quos & quam turpiter fefellerit. Non intermittebant autem interim milites Regii Crucigerorũ depopulari agros, & obuia oppida & rura, vi, ferro, flammaq; peruastare, Quod cum Crucigeri non poterant pati, in quadringentos Valachos, qui tũ forte Regi venerant militatum, sub Mariemburgo impetum faciunt. Qui hostiũ multitudine territi, in proximam se abdunt syluam, & de equis quibus insidebant delabuntur. Insecuti istos Crucigeri simili modo equos etiã deserunt suos, & ex latebris extracturos se esse Valachos, sed falso opinantur. Nam illi infinita sagittarum emissa copia, eos rursus aggressi, fugam capessere faciunt, & prædam relinquere quẽ contempserant hosti victori. A contempto enim hoste, & nec opinata peste facile profligamur. Eadẽ vero alios etiã Crucigerorum octingentos milites apud Nessouiam Andrea Breschouio Duce excepit calamitas; ac postremo ab Vladislao Rege ipso Golubium quoque occupatum.

Quæ omnia vno fere eodemq; tēpore gesta, Crucigeris terrorē & petendæ à Rege pacis attulerunt necessitatē. Quæ & ipsa à mansuetissimo Rege, haud ita iniquis cōditionibus, ac his nimirum, fuit cōcessa. Primum vt Vladislaus Rex Galardi & Petri Iudicum à Pont. Max. missorū sententiæ staret; Crucigerorum vero Magistri, Paulus Prussię, Zeifridus Liuoniæ, pacta Torunen. & Sigismundi decreta duo repudiarēt; Samagitiā, Nessauiam, dimidium Istulæ apud Toruniā Rex haberet, Crucigeris quæ bello ablata essent restitueret, iniuriæ vtrinq; factæ obliuione delerentur sempiterna. Sed neque ea cum Crucigeris pactio, Cæsaris iussu omnia interuertētibus, fuerat diuturna. Quare ne inter ipsos Principes grauius aliquid oriretū, mature prouidendū rati Hungari Polonorū efflagitarunt conuentum, ad quē vtrinq; idonei delecti viri, Kieschmarkū proficiscuntur. Distat Kieschmarkum viginti quatuor à Cracouia miliaribus, in quod oppidū simulacq; erat ventum, vt ad dimidium quadragesimæ ipsi inter

se conueniſſent Reges, Crucigerorum etiam Legatis eo accitis, eſt conſtitutũ. Cũ igitur ad præſtitutam diem Cæſar & Poloniæ Rex conueniſſent, de iniuriis, quas aliquis paſſus ab altero fuerat, non ſemotis arbitris, ſed præſentibus vtriuſq; conſiliariis, ſecum expoſtularunt: & tandem Crucigeris pacta conuenta, apud Melnũ lacum ſancita ſeruare iuſsis, pacẽ denuo inter ſe renouarunt. Nec multo etiam poſtea Coributus, qui in regno Bohemiæ ſummã auctoritatem ſibi comparauerat, Vladislao monente, ex Bohemia exceſsit; & inſequẽtis anni initio Zophia Regina diademate eſt inſignita, conuenientibus pro eius inauguratione Cæſare Sigiſmũdo ipſo, cum vxore Barbara; Erico Rege Danorum, Branda Cardinale Pont. Max. Legato, Iuliano Cæſarino auditore Cameræ, qui poſtea Cardinalis factus ad Varnam eſt occiſus; Ludouico Bauarorum, Zemouito & Alexandro Maſouiorũ, Bernardo Opolien. Venceslao Pomeranorũ, Ioãne Ratiborien. Cazimiro Oſuiecimẽ. Venceslao Odauien. duobus Vonrad Kozlen,

Venceslao Zegauien. Ducibus. Nam Vitoudus Coributo misso ipso, venire se non posse significauerat. Et hic conuentus in annum supra millesimum tercentesimũ trigesimum quartum inciderat: in quo eodem illo de Marchionis Brandeburgen. filia elocanda placuit consultare. Alienior iam Vladislaus, damno prudentior factus, ab eo esse cœperat; quandoquidem, vt facturum se receperat, contra Crucigeros nulla auxilia submisisset. Sũt enim suspecta gubernantibus multa. Sed eorum fides suspectissima, qui multa fari & præstare aut parum aut nihil consueuerunt. Tractatum tamen, vt dixi, de eius filia, Boguslao Stolpen. Duci elocanda, à quibusdam cum Vladislao fuerat Principibus. Verum res ad Vitoudum reiecta est, in cuius aula Fridericus Marchionis natus educabatur: nec valuit Pont. Max. etiam pro eo interposita auctoritas, qui ipsum ex Columnen. familia ortũ trahere testabatur. Adnitente tamen eius legato Cardinali amplissimo, præter voluntarios quinque millia Polonorum equitum

Sigis-

Sigiſmundo in auxilium permiſit Rex proficiſci: ſed ii cum paſsim vrbibus & oppidis Bohemiæ excluderentur, Olomucio in patriam ſubito redierunt. Quo eodem anno, magna parentum populiq; lætitia, Regi Vladislao filius natus, poſt quartum & decimum menſem, Vladislai nomen ad ſacras vndas eſt ſortitus. Cui ceremoniæ Pont. Max. Cæſaris, Venetorum & Mediolanen. Ducis, magnis puerperæ allatis muneribus, legati interuenerant: & Latinus Vrſinus Cardinalis vnũ de quinque clauis quibus Chriſtus ſuffixus fuerat, in Poloniam attulerat, magna non modo ordinum, ſed hominum omnium congratulatione. Cui adeo Rex confiſus rei, infantem illum ſibi deſignari petiit ſucceſſorem. Atque vt voti compos fieret, multa & magna tam Eccleſiaſtico quam Politico ordini promiſerat. Quæ cum paulo poſt denegare incepiſſet, & illud conſilium Sigiſmundus Cæſar, quo illum odioſiorẽ ſuis faceret ſuggeſsiſſet; ferunt Senatores indignabundos ſurrexiſſe, & diploma, quo de filio eligendo

cauebatur, è manib. Zbignei acceptum discerpsisse: vt libertatis Poloniæ & Regii animi parũ erga eos grati extaret testimoniũ sempiternũ. Neq; tamẽ Vladislaus destiterat cœpto, vt omniũ, qui amare incipiunt aliquid, perpetua est cõsuetudo. Nam cum illa non successisset aliã ingressus viam, Senatores priuatim prehensare, syngraphas ab iis exigere, multa multis polliceri nõ dubitauit. Quo tandẽ effecit, vt assensu aliquorum assecuto, etiã de ijs qui extra aleã fuerãt quodã modo triumpharet. Maioris enim præsentes fructus, quã faciũt multi posteros, & vnius alterius-ue factũ, publica omniũ infamia est notatum. Natus vero & altero anno Regi alter quoque, sed paulo post extinctus est filius, à quibus Reginæ partubus, cum tertius immineret, Vitoudus siue illius q; credebatur odio ductus, siue lubrica & præcipiti ambitione Regni potiundi, inflãmatus, siue falsis vulgi rumoribus excitatus, Vladislaum Regem, qui natura credulus, iam vero tum quasi bis puer (quod aiunt) fuerat, vt in Reginæ pudicitiã inquireret

digni-

dignitatis cõmunis ergô ſerio eſt exhortatus. Annuit ille fraternis monitis, & duę Reginæ pediſſequæ in carceres coniectæ, metu pœnarũ de libidinibus ipſius, quod cum ſex quibusdam amatoribus rem habuiſſet, ſunt confeſſæ. Quorum tres cum profugiſſent, tres alii indicta cauſa carceri ſunt mãcipati, pediſſequa vero in Lithuaniã à Regina Cracouiã Rodlo vbi hæc acciderant relegatur. Vnde cũ rurſus in Lithuaniam relegari & Regina debuerat, Senatus Polonicus & imprimis Ioannes Tarnouius Palatin9 Cracouiẽ. vir magnæ auctoritatis; diſſuaſit q, relegata matre perpetua infamia filios laboraturos, & nunquã gubernaculis Regni apud gentẽ, decoris & honeſtatis cupidã, potituros teſtaretẽ. Itaq; inſtãte maxime Senatu, res tãdẽ perducta eo fuerat; vt Regina ſuo & ſeptẽ nobilium pudicarumq; matronarum iureiurando edito, marito ſe expurgaſſet. Quo facto in Ioannẽ Straſſum, qui eã famã apud Vitoudũ & Germanos ſparſiſſe dicebatur, iudicium à Regina efflagitatũ facileque ab ea obtentum, vt Straſſus,

licet præstito iureiurando expurgatus, in carcerem Sendomiriæ cum periculo vitę nihilominus detruderetur. Pira cũ partiri, & in iudiciũ cum Regibus ingredi, nec tutũ nec decorũ habetur. Ita demũ multo post Regina filium enixa, cui nomẽ Cazimiro datũ, Regis regniq; ordinũ animos mirifice recreauit. Quãquã interim ea infamia Reginæ aspersa, vt successu tẽporis quieuisse videretur; inter Regem certe & Vitoudũ qui eius auctor & impulsor fuerat magnorũ dissidiorũ extitit seminariũ: quod paulatim gliscens, tertio deinde anno Sigismundus Cæsar inter fratres tanto ardentius excitauit. Didicerat is non optime his inter se conuenire, Vitoudũ ergo à quo alias Regem pendere nõ ignorabat, quã maxime addictum & familiarem sibi reddere peroptabat, & vtriusq; expetebat colloquiũ, maritus pariter parũ felix & imperator. Nã per ea rursus tempora cum Turcis infeliciter dimicauerat, & in Vladislaum Regem ꝙ promissa in bellum auxilia sibi non submiserat, culpam reiiciebat. Apud Luscũ igitᵘ ad sextã Ianuarii

diem

diem Cæsar, cū sua vxore Barbara, & Vladislaus cum Vitoudo conuenerunt, ac im primis quidem postulabat Cęsar; vt Valachiā, cui gens infida esset, æqua lāce inter se partirentur. Sed hoc per Regē negato, Vitoudoq; diademate promisso, eū cum Rege cōmittere denuo cogitabat. Quod neq; aspernari neq; protin⁹ etiā acceptare se velle, inuito præsertim fratre, Vitoudus fatebatur. Totus igit᷑ Sigismundus ad Vladislaum Regē conuersus vt cohonestandæ patr. ergo aliquid tribuere, & bene de se merentis fratris minime inuidere vellet dignitati, ab eo postulauit: Vladislaus omni de ea re consultatione ad Senatum reiecta: qui cōcors, aut saltē eius magna pars si nō cōtraria Vitoudo videbat᷑, gratificaturum se libenter fratri, nō inuitus pollicetur. At in Senatus disceptationem re veniente, adesse Vitoudus ipse, quo minus liberius sentētię dicerētur, ab Vladislao Rege, q̄, & obtinuit, percupide efflagitauit. Primus Archiepiscopus Gnesnen. Albertus Iastrzębecius, qui verba faceret fuisse memoratur, quē non admodū

explicantẽ bene se, Zbigneus Olesnicius Episcopus Cracouien. dicenda sententia subsecutus, & Sigismundi artes & Vitoudi non satis laudatam dixit esse cupiditatẽ, Quo magis ab eo diademate, quod illi ab hoste quam hospite potius offerretur, abstineret, & fratris dignitatem, ac duarum potentissimarum gentium Polonicæ & Lithuanicæ inter se concordiam, quã & ipse iureiurando confirmasset, constantissime tueretur. Hæc Zbigneo effante, & omnibus aliis Episcopis eius sententiam approbantibus, cum ad Politici ordinis ventũ esset Senatores, Ioãnes Tarnouius Palatinus Cracouien. graui item oratione, hanc Vitoudi iam senis, & tam vita quã gloria saturati, ambitionẽ exagitauit. At Vitoudus repulsam passus, fremens & gemens ex Senatu se proripuit, & quando à Polonis ipsi & dignitati ipsius sic inuideretur, alia via se nihilominus obtenturum id minabatur. Iã eodẽ momẽto & Vladislaus Rex à Senatu obiurgatus, temerariã suã sero cognouit indulgẽdi fratri facilitatem. Nam Lusco omnes ad vnũ

Sena-

Senatores discedentes, solum Regem cũ hospite parum Polonis grato Sigismundo reliquerũt. Nec procul res periculo abfuit, si Poloni Hũgaros magis hac in parte præcipites imitari voluissent, apud quos sola aliquãdo Maiestate Sigismũdus, quę tacita & Reges tuetur, ab extremo vitæ ipsius periculo seipsum vindicauit. Furẽte enim populo, & prædominante obolo, factu etiã incredibilia facilia redduntur. Quidemũ etiã ipse Sigismundus ex conscientia à Polonis sibi metuẽs, non q; illi vnquã vim hospitib⁹ intulissent, qui perhumaniter tractarũt singulos, ex Polonia in Hũgariã discessit. Interea assentatorũ turba, domestica Regum pestis, ne hunc bolũ è faucib. sibi eripi, & eam infamiam Vitoudus sibi pateretur inuri, dies noctesq; illum exstimulabat. Qua etiam de causa Gastoldũ Palatinũ Vilnen. & Rombuldum Marschalcum Vitoudus ad Regẽ forte miserat; per quos illi, & Polonis significatum esse voluit, tam inuitis, quam etiã cõsentientibus, se Regẽ in Lithuania futurum. Ad eam quidem legationem,

qui responsum Vitoudo retulissent, Zbigneus Episcopus, & Nicolaus Michalouius Marschalcus, Sendomirien. Palatinus designati. Atque hi nimirum postquam primum placide iurisiurandi eum admonuissent; addiderunt etiam minas precibus; & his similiaq; perniciosa Reipub. consilia vi & armis prohibituros se aperte sunt testificati. At interim ille in Vladislaum Regem culpam reiiciens, hæc ita leuiter dimittere non posse se testatus, Legatos in patriam pati voluit libere proficisci. Quod ipsum regnandi Vitoudi studium Crucigeri, qui nullam Polonis incommodandi prætermittebant occasionem, studiose magis etiam auxerunt: vt videlicet repetitis legationibus id à Cæsare postularet, & Polonis quoquo modo posset negotium facessere non dubitaret. Quod vbi Poloni, literis & internunciis Vitoudi aliquoties captis, certius cognouissent; venerunt ad Regem frequentes Sendomiriã, vbi iterum Zbigneum & Tarnouium Legatos in Lithuaniam dimiserunt. Scopus legationis fue-

rat; dimoueretur Vitoudus ſententia. Quod ſi non poſſet, diadema Polonicum cedente Vladislao Rege, quam nouum à Sigiſmundo Cæſare Lithuanicum, potius ſortiretur. Octogeſimum iam ille exceſſerat annum, nec vllos ſuſcepiſſe ſpectabatur liberos, cum nihilominus illa ipſa cupiditate Regni incenſus, multaque de ſua in Vladislaum obſeruantia præfatus, quē auctum non ſpoliatum dignitate vellet, vim vi ſe repulſurum reſpondit. Quod reſponſum à Vitoudo Polonis oratoribus datum, ipſos quoſdam Polonos ſuggeſſiſſe, & vt in propoſito fortiter præſtaret monuiſſe, fama manſit. Liberalitate namque & beneficentia omnes omnium ordinum & conditionum viri facile quouis impelluntur. Quæ tanta in Vitoudo fuerat, vt maximam ſibi auctoritatem inter vulgus conciliaſſet: & cum Vladislaus ab eo penderet totus, multis & magnis beneficiis aliquos affeciſſe, & longa temporū ſerie multis multas benefaciendi occaſiones habuiſſe memoretur. Iam vero & Vladislaus etiam ipſe, non tam adeo altos

ſpiritus gerens, & ingraueſcente ætate debilitatas ſuas vires ſentiens, ipſorum denique negotiorum & adminiſtrationis publicæ plane pertæſus, & filios parum adhuc regnãdo aptos ſortitus, ad quos Vitoudo regnum eſſet rediturũ emortuo, regnandi ad tempus copiam facturus videbatur, niſi tam grauis & prudens Senatus ille proculdubio obſtitiſſet: præſertim cũ & Vitoudi ambitio, & Sigiſmundi tanta quanta vix dici poterat ſpectaretur fraudulenta ſolicitudo: qui per eos dies, quib. Vilnę Legati Polonici fuerant, Draconẽ aureum affabre factum, Vitoudo mittere, & de ineunda cum eo ſocietate certas cõditiones proponere minime dubitauit. Verum Vitoudus non prorſus adhuc ſui ſuorumq; oblitus, Draconem quidẽ pro hoſpitali munere, nõ pro alicuius ſocietatis pignore, accipere ſe teſtatus, vnum de Legatis Polonicis Tarnouiũ, ſiue vt Zbigneo ægre faceret, ſiue vt eũ in ſuam ſententiam adduceret, magnis munerib. affecit, nullũ vero iuſiurandũ, ac ne mentionem quidẽ alicuius ſocietatis cum Sigiſ-

mun-

mundo tum fecit, & cum Zbigneo, quod solus ille tota Polonia illi esset contrarius, expostulauit. Verum cum ille de Collegæ constantia vel tantillum non dubitaret, si votis eius Tarnouius assentiretur, nec se etiã in contrariũ iturum affirmauit, & ambitiosi ingenii Principem tandem elusit. Quæ dum forte ad eum modum in Polonia Lithuaniaq; agebantur, vt nihil intentatum reliquisse Vladislaus videretur, quo Vitoudi consilia præpedire potuisset, ad Pont. quidem Max. questum ea de re principio misit: sed & domi Iedlnæ apud Radomiam totius regni comitia celebrauit: in quibus Vitoudi molitiones, & Prussiæ Liuonięque Crucigerorum veritus fœdera, Polonorũ animos beneficiis sibi deuinciendos, & de filiis suis alteri successionem apud eos conciliandam præmature iudicauit. Cuius rei gratia veteres Regũ donationes ratas esse iussit, & multa præterea ordini equestri, nonnulla Ecclesiastico, pauca oppidanis & Colonorũ multitudini de prioribus oneribus relaxauit. Quæ omnia publice data & lite-

rarum monimentis extiterunt consignata. Nec non & hoc constitutū, vt pro hoste patriæ, qui hæresibus vel hæreticis fauisset, haberetur. Quæ eadem scita, ternis ante Vladislai obitum comitiis, repetita memorantur. Ex quibus etiam comitiis denuo Zbigneus cum Marschalco in Lithuaniam ad Vitoudum est ablegatus. Cœperat ille vicinas Poloniæ commeatu & milite firmare munitiones: vnde nonnulli rem ad rebellionem spectare coniecturam capiebant. Cœca enim est ambitio, cœcosq; quos complexa fuerit efficit aliquando: sed ille non nouandarū rerum causa, sed stabiliendarum potius suarum gratia id se facere cum respondisset; addidit etiam & illud; Quod Bohemi ad eum per Poloniam transitū ab Vladislao postulassent. Quod ne fieret, & ne incautus ab hostib. circūueniretur, necessario erat prouidendum, præsertim cum Vladislaus contra morem de ea Bohemorum in eum molitione, non fecisset ipsum certiorem. At cum hæc tantum excusationis cuiusdam à Vitoudo loco Vladislaus di-

ci perſpexiſſet, & inaugurationem eius ad decimũ ſextum Calen. Septemb. diem Vilnæ apparari præſenſiſſet, illuſtri cuidã & magnanimo viro, Ioãni Czarnkovvski vt ad Poloniæ & Pomeraniæ confinia, vbi poſſeſſiones ſuas ampliſſimas habebat, excubare, & Cæſaris ac Vitoudi internũcios per Pruſſiã proficiſcentes captiuos facere nõ dubitaret, imperauit. Expedire id Reipub. vt ei hac in parte operã nauaret ſuã, etiam quam diligentiſſimam, nec de Regio erga ſe animo memori ac grato poſtea dubitaret. Forte interea temporis Ioannes Cigala Iureconſultus Genuen. & Sigiſmundus Rotus Sileſius à Cæſare ad Vitoudum magnis itineribus contendebant, vt omnem dubitationem quam in animo habebat ipſi eximerent, Num Cæſar, ipſe nondum inauguratus, Reges creare potuiſſet; ſimulq; diploma Cæſaris de regno Lithuaniæ offerrent conſtituendo; Diadema vero ipſum alio tẽpore ſine mora mittendũ pollicerentur. Tũ & nonnulla alia de Pruſſiæ & Liuoniæ Crucigerorum cum Vitoudo contra Polonos

ſocietate habuerunt in mandatis. Qui enim vel ſemel cœperit, augetur perpetua cupiditate & modo alterius infeſtandi. Hos igitᵘ ſtudio Legatos, & quaſi turbarũ incẽdiarios, Czarnkouius vetuſta familia natus, ſine vllo inſidiarũ metu proficiſcentes, paruo negotio cœpit, moxq́; incaute dimiſſos, omnes quas ſecũ habuerãt literas iis ablatas Iagelloni tradidit, ſuo arbitratu examinandas, quem ſingularibus donis, muneribusq́; affectum, & ſperare maiora iuſſum, ad easdẽ illas vias inſidendas é veſtigio Rex remiſit, & Germanorum, Hungarorum, Bohemorumq; Legatos, qui ſuperuenturi dicebantur, obſeruare, & captiuos facere diligenter imperauit. Verũ cum idẽ ille Czarnkouius valetudine impeditus id præſtare non poſſe ſe Regem feciſſet certiorẽ; vniuerſa quidem maioris Poloniæ Nobilitas id ſibi curæ ſumere, & illas vias obſidere minime dubitauit. Iã Frãcofordiã ad Oderã flumen poſitam Legati cum diademate Cæſaris fuerant prætergreſſi, cum ſubito nunciatur iter illos infeſtum, & vix cre-

dibilem sine periculo vitæ transitum sortituros. Duob⁹ igitᷣ mensibus expectãdo frustra consumptis, rursus ad suum Cæsarem reuersi sunt, & Crucigeri, qui suarum contra Polonos molitionũ erant sibi conscii, ad eos miserunt sciscitatũ, pro hostibusne an pro amicis essent censendi? Quibus, inermesne vel armati intra sua confinia Poloni essent; nihil eorũ referre; & si quid hostile moliri vellẽt, denunciare Polonos hostibus consueuisse, est responsum. At vero Vitoudus de his rebus certior factus, dissimulabat quidẽ coram hospitib⁹, quos pro inauguratione inuitauerat sua, illud Polonorum contra se consilium siue factum; sed ita nihilominus indoluerat, vt ex dolore vehementiore animi antracem contraxisse memoretur. Ac cũ, Rege & ordinibus Polonicis renitentibus, vix se aliquãdo voti sui compotẽ futurum crederetur: euocauit rursus Iagellonem in Lithuaniam, & omnem iam illã de Regio titulo à Cæsare petendo cogitationem deposuisse se testabatur. Non erant Rex & Poloni nescii, rursus Vitoudũ,

vt hæc dissimulanter ferret, de regno aliquid iniecturum denuo consequendo; sed partim quod Rex suæ videndæ Lithuaniæ vehementi tenebatur desiderio, partim quod tales ipsi itineris adiunxerant comites, qui facile circũscribi posse haud ita videbantur, passi sunt eum Zbigneo & aliis concomitantibus in Lithuaniã proficisci. Adest tum Vitoudus cum suis postulatis denuo, & cum primum spe & anxia prece Zbigneum frustra expugnare voluisset, addit postremo & minas, & apud fratrem effecturum se, vt Vischus alter qui aliquando Episcopa à Rege spoliatus fuerat spectaretur. Sed cum nihil proficere viderat se potuisse, æger paulo post factus, vitam cum morte cõmutauit. Princeps mira industria, in bello solicitudine, in pace vigilantia, in aduersis tollerantia, in omnes, maxime autem in externos liberalitate singulari. A cuius morte suspensi aliquanto animo Lithuanorum & Rutenorum proceres, quidnam de iis fieret cum quodam non obscuro metu, nunc hæc, nunc illa circumspectabant.

Supererat Coributus Vitoudi frater, ſed in Bohemiam profectus, quoniam illius regni incendio ſeſe immiſcuerat, non ita facile redire poſſe, ſuamque Lithuanis operam vel antea quoque ſatis probaſſe non videbatur. Suidrigello vero Vladiſlai frater, qui metu Vitoudi ad Sigiſmundum Cæſarem aliquanto ante profugerat, eodemque rurſus permittente in Lithuaniam redierat, perpetuis commeſſationib. deditus, nullum præclari alicuius ingenii ſpecimen, imo multa præcipitis animi & furoris atrocia exempla aliquot ediderat, liberalitate tamē, quæ in hominum animis altiſsimas radices agit, & Ruſſis maxime, à quorum non abhorrebat dogmate, haud ita ingratus credebatur. Neque tamen Iagellonis intimi ſenſus, penes quem ſumma poteſtas Lithuaniæ cui vellet dandæ remanſerat, poterant explorari. Sed paulo poſt cum ille Suidrigellonem clam Principem declaraſſet, certatim ad nouum curſum eſt dominum, & deſertus is qui eius creandi habebat facultatem. Orientem enim quam

occidentem ſolem, vt plerunq; fit, magis veneramur. Iam vero Suidrigellone ad Vitoudi exequias cum maximo comitũ & ſtipatorum numero Vilnam ingreſſo, ac multitudinis applauſu incitato, Vilnen. & Trocen. & aliæ item primariæ arces plures in ipſius ſtatim peruenerunt poteſtatem. Qui vel auctoritate non adhibita regia, ſubito ſibi ipſe vſurpauit imperium. Neq; eo tantum contentus fuit, ſed Regem etiam ipſum contumeliis afficere, & veteris carceris memoriam refricare, Polonos aſperius appellare, tabellarios Regis excutere, planeq; tumidos & inſolẽtes gerere ſpiritus nõ omnino dubitauit. Quæ res vt videretur minime tolerãda, maioris tamẽ adhuc excãdeſcẽtiæ ceu quandã præbẽt ipſi anſam. Allatũ ex Polonia nuncium, quo, nondum audita Vitoudi morte, Podoliã, eiecto Dogoberto Vitoudi præfecto Vilnen. Palatino, in Polonorũ veniſſe manus ferebatur. Itaq; ſtatim ille in Polonos furere, & præſentibus mortẽ atq; adeo & Regi ipſi interitũ minari cępit. Quo fuerat factũ, vt dies no

ctesq; circa Regem Poloni etiam excubarent: quamlibet non defuissent rationes, ipsum potius Suidrigellonẽ è medio tollẽdi, quã simile aliquid ab eo pertimescẽdi. Canes enim qui latrant præcustodiunt; qui videntur muti, ad inferendũ damnũ magis esse animati. Iam quidem Iagello, vel quod natura meticulosus, vel q; quam par fuerat Suidrigelloni erat indulgẽtior, in Lithuanosq; quam Polonos animo & voluntate propensior, inconsultis proceribus, qui tum cum eo fuerant Polonisq; vniuersis, Podoliam Suidrigelloni, ea vna illa interposita concessit conditione, vt si inter Poloniam & Lithuaniam non sequeretur ea de re concordia, Suidrigello Iagelloni Podoliã restitueret, & alia via & modo ius suũ prosequeretur. His rebus ad eum modum constitutis, Zaclica Tarlo; qui Michaeli Babæ Suidrigellonis nomine recipiendam Podoliam daret, est ablegatus. Id autem cum Poloni illi, qui circa Regem in Lithuania versabantur, ferrent indignissime, amore patriæ ducti per Zaclicæ puerum pecunia hono-

ris quidem ergo donatum, sed illius arcani minime conscium, Buccacium ne Podoliam Lithuanis redderet fecerunt certiorem. Quod etiam fecerat Buccacius, studiose & Zaclicam & Babam, qui nihil horũ sciuerant, detentos aliquãdiu apud se asseruauit. Detinebatur autem & Vladislaus pariter quasi sub honesta quadam Vilnæ custodia, q; quantumuis licet recte illi putabant Polonorũ nonnulli euenisse, ne tamen aliud adhuc aliquid eueniret ei deterius, constitutis primũ Vartæ comitiis simul & bellicam indicunt in Lithuanos expeditionem. Qua Suidrigello intellecta, Regem sibi ipsi prius reconciliatũ pristinæ mox restituit libertati. Vt ad eum modum Polonorũ legati, inter quos Zbigneus etiam fuerat, antequam in Lithuaniam peruenissent, ad suos ex itinere reuerterentur; & insequentis anni initio Rex Sendomiriæ totius Regni comitia celebraret. In quibus cũ de Suidrigellonis ingrato in Regẽ regnumq; animo & insolentia multa dicta & agitata fuissent; & consilia denique ipsius alias penitius in-

dagata,

dagata, quod & reliquias Podoliæ confi-
cere,& bellũ contra Polonos gerere aper-
tùm velle diceretur; placuit quoque bel-
lo ipſum petere, atque inſanas illas ipſius
cupiditates vi & armis refrenare. Sed de-
nuo Vladislaus Rex pro eo ſe interpoſuit,
miſſaq; in Lithuaniã publica eſt legatio;
quæ eũ, per omnia diuina & humana cura
licẽter perbacchantẽ, officii ſimul & peri-
culi admoneret. Sed tantum abfuit, vt eo
commoueretur, vt etiã iuſte & legitime ſe
omnia gerere inſolentius teſtaretur. Cũ
enim pudoris & officii repagula ſemel
quis perruperit, nauiter eũ videas reddi
quotidie magis etiam impudentẽ. Aduе-
nerat tum forte ex Bohemia ſub publica
fide Coributus Cracouiam, multis & ma-
gnis Hæreticorum Ducibus comitatus.
Quibus cum de religione, non modo
Cracouiẽ. Academici viri docti, & probi,
ſed etiã Rex ipſe multa egit, commemo-
ratis Bohemiæ quæ inde ortæ fuiſſent ca-
lamitatibus, & multis magnisq; promiſ-
ſis ipſis factis, ſi forte priſtinæ ſeipſos reſti-
tuerent ſanitati. Mali enim vel inuito

aliquid

aliquid alicui feceris, nihil vnquam boni reluctanti. Sed compertum est hęreticorũ ebriosorũ viæ esse fuisseq; semper similem, quæ facilius in tenebris amittitur, quam media etiam luce recuperatur. Ad eum enim modũ Hæreticis in errore suo perstantibus, Zbignei Episcopi Cracouien. iussu cessatũ à Sacris fuerat, quoad Cracouiæ morabantur. Et quia festi Paschæ imminebant dies iussi sunt abire Cazimiriam; quamlibet non sine fremitu id fecisse viderentur. Quibus paulo post dimissis, Biecum Rex profectus bellũ in Suidrigellonem apparauit. Quem hæc similiaq; animo agitantem, Ludouicus Commendator Torunen. Magistri Crucigerorum legatus ad eum superuenit, & operam suam magistri nomine in reconciliandis fratrib⁹ obtulit & promisit. Cui cum Gratiæ actæ fuissent, nihilominus Ioannes Brzezius ad Suidrigellonẽ missus, qui antequam ad arma veniretur, nunc precibus, nunc pollicitationibus eũ emolliuisset. Cuius tãta animi fuerat impotentia, vt sui iurisq; gentium oblitus

lega-

legatũ etiam violaret. Qua re Iagello vehementius denuo excitatus, expeditione bellica maturata, castrisque permotis ad Hrodlum oppidum supra Bugum amnem positum tandem peruenit, & duodecim dierum spacio statiuis ibi habitis, Maiores Polonos tardius venientes expectauit. Deinde vero & Bugum ipsum traiecit, vbi cum sex millibus hominum Suidrigello ipsi occurrit. Nec mora, leuibus quibusdam præliis vtrinq; est decertatũ, in quibus cum fere semper fuissent Poloni superiores Seua Dux Russus occisus, vulnerati quamplurimi, & postremo etiam capti, & ad Regem perducti non pauci, & Vlodimiria ac ipsius territoriũ vastatum, & multæ deniq; ac magnæ passim inustæ calamitates memorantur. Sed neq; adeo etiã tũ Vladislaus Suidrigellonem ad pacem destitit inuitare. Optima enim conditio res pace terminasse etiam ipsius est victoris. Verũ enimuero Crucigerorũ pollicitis cũ quibus pepigerat fœdus Suidrigello confidens, & breui eorum armis excitum in Poloniam rediturum

Regem ſperans, ne pacis quidem apud ſe fieri patiebatur mentionem. Cum interim maiores Poloni tam diu expectati Regium exercitum, qui alias etiam Suidrigellonis ſuperior fuerat, aduenientes magnopere denuo auxerunt. Qui cum Suidrigello põtem diſieciſſet, Stirum fluuiũ qui Luſcũ alluit, difficili ac profundo vado cum reliquo tranſmiſerunt exercitu, & tandem etiam poſtremo Suidrigelloni formidabiles euaſerunt. Qui tot tantiſq; copiis cum imparem agnouiſſet ſe, Luſco ipſo incenſo, & arce Iurzæ Ruſſ. fidei commendata, nec pugna quidem inita, fuga ſalutem quærere, & omnem ſuum illum exercitum huc & illuc dimittere non dubitauit. Qui partim cæſus, partim etiam fugatus, à Regiis memoratur extitiſſe. Peruicax enim & tumens Principum animus, abiectione tandem & leuitate mentis plerunque terminatur. A qua Suidrigellonis fuga, à toto nimirum exercitu arx Lucenſis, ſed fruſtra eſt oppugnata. Ille autem ipſe confictis Tartarorum Principis ad Vladislaum literis, qui-

bus Podoliam Suidrigelloni à se donatam postulabat reddi, cum hæc non succesisset aliam ingressus viam, siue ex animo, siue ducendi belli causa pacē postulauit. Quo magis delectis viris idoneis, & tam iuris quam iustitiæ consultis, placuit de pacis conditionibus disceptare: quæ etiam ipsa confecta fuisset proculdubio, nisi Suidrigello Crucigeros & Valachos in eadem pace, tanquam confœderatos suos, includere voluisset. Quos ille magnis muneribus pollicitationibusq; inductos Poloniam parte ab vtraque coegerat infestare, sed ita vt non omnium tamen solidissima victoria potirentur. Nam Valachi ex agro Rusiæ cum ingenti præda reuertentes, à duobus Bucaciis fratribus excussi fuerant. Crucigerorum vero pars vna Crainensem oram peruastans, captis quam plurimis profligata; altera vero quę in exurendis Cuiauiæ oppidis & agris depopulandis operā nauabat suam, domum redierat incolumis. Bellum vero cum Suidrigellone induciis interceptum, ita vt insequentis anni initio de pacis condi-

tionibus Parſouiæ firmandis denuo tractaretur. Ita demum Luſci obſidione ſoluta, dimiſſoq; exercitu Rex Vladislaus Leopolim eſt ingreſſus. Vbi magna Cuiauien. & Dobrzinen. nobilium multitudo de damnis & iniuriis per Crucigeros ſibi illatis queſtum, & à Rege ſubſidia venit petitũ; largit⁹ vero partim pecuniã, partim poſſeſſiones aliquibus ille eſt munificentiſſime. Verum cum ei rei publicum ærarium, vel antea etiam exhauſtũ, ſufficere poſſe vix videretur, Eccleſiaſtica etiam bona, vt ſaltem per hyemem vſufructu eorum ſuſtẽtarentur, nonnullis conferre iam quoque cœperat. Cũ ſubito nouitate rei Epiſcopi omnes permoti, & inter alios Zbigneus, graui & libera oratione Vladislaum reprehendit: qui niſi cœpto deſiſteret, grauiore etiam cenſura ipſius conatum repreſſurũ eum ſe, publice eſt teſtificatus. At ille in Poloniam reuerſus Nepolomiciis, quæ ad vndecimam Septembris diem comitia indixerat celebrauit. Vbi Heduigim eius filiam, Friderico iuniori Marchioni Brãdeburgen. in matrimoniũ promiſsã, nõ ſine

veneni à nouerca dati ſuſpicione mors immatura præuenit. Cuius obitũ vel pater etiã ipſe æquius idcirco tulerat; quod eã vt Cazimiri magni Regis Poloniæ proneptim, (cuius apud Polonos gratiſſima extabat memoria) ſuis filiis ad Regnum aſſequendum obſtaculo eſſe poſſe magis vereretur. Annus vero quo hæc agebantur, à mille quadringentis triceſimus primus numerabatur. Poſt cuius initium magna Procerum multitudine ſtipatus Lublinũ ſe contulit: atq; inde Parſouiam ad conuentum cum Suidrigellone pacis tractandæ ergô coactum, præter ſolũ Archiepiſcopum Gneznen. omnes Senatores tranſmiſit; qui pluribus diebus expectando conſumptis, tandem re infecta ex eo loco abierunt. Erat tum namq; apud Suidrigellonem Commendator Torunen. Ordinis Cruciferorum ſuorum cauſam agens, quam maxime ſolicite, ne cũ Polonis fœdera, aut aliquam amicitiam inire vllo modo cogitaret. Quo magis de imminentibus vndiquaque periculis Rex anxius ad viceſimam tertiam Aprilis

diem Conuentũ nouum Siradiæ indixit. In quo magna procerum multitudine cõgregata, Vladislaum filium natu maiorem regni sui successorem, vniuersi Conuentus consensu & suffragiis, declarauit; simulq; constituit, vt si vno eodemque tempore multa bella ingruissent, cæteris ad tempus intermissis in vnum, quod esset grauius, cuncti incumberet, ne vires multipliciter diductæ & extenuatę, nulli recte administrando & sustinendo suffecisse viderentur. Ancipiti enim contentione distentus, vix ad singula valuerit aliquando animus, nec res ac facultas belli sumptibus potest respondisse. Inde in minore Poloniam celeriter reuertenti Regi legati Bohemorum hæretici apud Pabianicze occurrerunt; qui quod auxilia contra Crucigeros ipsi pollicebãtur, & simul Coributum reconciliare ipsi contendebant, splendide & honorifice habiti; ad sacrorum cõmunionẽ sunt admissi, Archiepiscopo Gneznen. & tot aliis regni Senatoribus minime refragantibus. Qui tamen postea, cum Cracouiam, quod ne

face-

facerent Rex monuerat, forte attigissent; Zbignei eius loci Episcopi mandato à sacris sunt exclusi. Quæ res non modo Regi, sed ipsi etiã displicuit Senatui; quod religionis zelo superare alios etiam sui similes velle non obscure videretur. Quod etiã causæ fuit, vt Rex Zbigneo, Cracouia Visliciam vsq; sibi occurrenti, dextram beneuolentiæ symbolũ negauerit, & verbis asperioribꝰ eũ compellauerit; Vischi etiam Episcopi fortunam cum fremitu comminatus. Ad quæ omnia inconcusso animo Zbigneus respondit, & pro religione nihil non libenter velle se pati & ferre declarauit: at cũ denuo Rex subiunxisset, Diuini & humani iuris peritos sibi adstipulari, ex gymnasio quidam asciti & cum Episcopis commissi, facile quod Zbigneus fecisset, approbarunt. Neque tamen in Zbigneũ regia penitus resederat iracundia, imo à Ioanne Tarnouio Palatino Cracouien. illius amicissimo monitus fuerat, caueret sibi à sicariis, nec temere noctu ad frequentanda, vt faciebat, templa huc & illuc vaga-

retur. Sed ille tantum abest, vt has minas & pericula extimesceret, quod etiam eadem illa, & pluribus aliis noctibus solus in cubiculo cubaret, & vno puero comitatus ad matutinas preces templa etiam frequentaret. Recte enim factorum magni comitatus loco fuerit conscientia: & à perperam aliquid molientibus tuta etiam metuuntur. Iam vero dum hæc ita in Polonia gerebantur, Iani Cypriorum Hierosolymitanorum & Armeniorum Regis, splendidissima ad Iagellonem venit legatio, mari per Propontidem & Pontum vecta Euxinum: cuius quoniam Cyprii regni Marschalcus vir summæ auctoritatis Balduinus de Noris habebatur, propterea maximis donis allatis, Heduigim, eius filiã pro Regis sui filio, & ducenta aureûm numûm millia, mutui ab eo nomine postulabat, sed & Heduigis quoniã iam emortua, & ærariũ bellis exhaustũ fuerat, nihil tum temporis ea legatione est impetratum. Sed ad tranquillanda domi omnia totum se Iagello tandem conuertit, & Laurentium Zarę-

bam Castellanum Siradiæ admonendi sanandiq; Suidrigellonis gratia in speciem in Lithuaniam ablegauit. Verum occulte hoc, imo præcipue in mandatis ei dedit, vt procerum Lithuanorum animos, qui iam ab eo abhorrere cœperant, prorsus etiam abalienaret. Erat quippe nimium ferocibus & indomitis moribus, & plus Russis quam Lithuanis delectabatur hominibus. Quæ res effecit, vt rebellionem contra eum moliri Lithuani inciperent, & ad Sigismundum Ducem Staroduben. eodem Castellano auctore, eligendum maximopere inclinarent. Quos cum semel & iterum Rex inanimasset, & tam per Zaræbam, quam per alios de voluntate sua certiores fecisset, illi accepta quadam occasione apud Osmianos ipsum aggredi è vestigio cogitarunt. Sed prẹmonitus ille à Monuido quodã suo cũ fuisset consiliario, fuga salutem quæsiit, & ad Crucigeros, quib. fidebat plurimum, in Prussiam contendit. Quo factum, vt non modo eius vxore, & liberis, sed tota adeo Lithuania Sigismundus potiretur: in quã

paulo post septem præcipuæ auctoritatis viri ex Polonia missi, conditiones quas postulauerat attulerunt, & iureiurando eum obstringētes gladium insigne Principatus regio nomine reddiderunt. Cuius legationis Zbigneus Dux & auctor fuisse vtique memoratur. Aderat autem, cum hæc vltro citroque tractarentur, idem ille Torunen. Cōmendator Crucigerorum nomine Ludouicus; qui hæc omnia infecta reddere quāto quidem vehementius poterat perpetuo nitebatur. Sed paulo post discedere iussus, nec voti sui compos factus, in Prussiam ad suos est reuersus. At vero Iagello rebus in Lithuania constitutis, ad tranquillandum etiam Podoliam totum se conuertit; & Leopolim profectus vt ex vicinia de reb⁹, quæ in disceptationem venissent, maturoque auxilio eguissent, rectius consuleret, forte per eosdem illos etiam dies Olesscum intellexit à suis fuisse expugnatum. Vnde victricibus copiis nouis supplementis auctis, ad reliquas Podoliæ munitiones submisit eas occupandas. Expedit enim rebus cursum

per-

persequi victoriæ, & bello semel cœpto oblatis occasionibus nunquam temere indormire. Erat Theodorus siue Fedco Ostrogius Russus Dux partium Suidrigellonis, vir militari gloria, & exaggeratis opibus præstans. Is cum regius exercitus Podoliæ arces in suam redegisset potestatem, ne ea quoque potitus fu isset, Braslauiam incendit; & licet non mediocres haberet copias, tamen aperto marte cum Regiis nunquam congredi voluit; sed tãtummodo ex insidiis vel nonnunquam eas infestauit. Prudens enim bellator quoad potest declinat semper certamen; quod cum amiserit, magnum in suis foramen experit. Hunc igitur cum Regii in patentibus campis non potuissent opprimere, propter alienum, quod iam instabat, anni tempus, domum se recipiebant; & nihil minus quam bello amplius cum hoste certare velle videbantur, cum subito Chuedko ille Valachorum, Tartarorum, & Bessarabum auxiliis auctus & numero militum Regiis superior factus; apud fluuium Moraqu a, limosum, & longe

lateq; restagnantem, ac fragili glacie, tantũ concretũ regios flumen illos superare conante in ripa ex insidiis aggreditur vlteriore. Iam quidem pars regiorum vna angusto tramite impeditum transierat locum; & impedimenta in mediũ recepta tuto erant subsecuta; cum subito Chuedko magno cum impetu & tubarum sono, nec opinantes aggreditur regios, & in iis stragem edit memorandam. Qui nihil ea impressione animo fracti, resistũt hostib⁹ egregie, & vim vi repellũt animose. Certabatᷓ acriter vtrinq; diu; & iã quasi quendã Chuedko regiorum fecerat ipsum se victorem; cum mox quasi cœlo delapsus cẽturio quidam Chemnicius, qui cum equitibus centum pabulatum profectus opportune rediens, & clangore tubarũ signo pugnæ dato, denuo præliũ instaurauit; & intẽtos in pugnã hostes simul cũ aliis fudit atq; fugauit. Dux quidem ipse maturius quã par fuerat, se receperat; vt, ꝙ dici solet, postea pugnauisset; sed eius milites fere omnes ad vnum cæsi memorãtur. Cum ad dimidium noctis, quæ tum

sublu-

ſublustris fuerat, hostes promiſcue cedẽdo regii fuiſſent ſubſecuti. Duodecim ſigna ad Regẽ relata exigua exercitus clade dicebantur. Locus vbi hęc geſta ſunt non minus quadraginta milliarib. Germanicis diſtabat Leopoli. Et tamen nuncius de victoria eadem illi allatus eſt die, quę fuerat Nouembris extrema, auctore fruſtra diu quæſito nec inuẽto. Quã certiſſimã fuiſſe poſtera dies, incertam prius famam mox verã & firmã fuiſſe declarauit. Quæ tanto admirabilior videri poterat, quanto iiſdem auſpiciis Sigiſmundus de Suidrigellone alterã apud Oſmianos ſibi parauerat, vbi in monimentum victoriæ templum & ſacerdotũ Collegium cæſis hoſtium millibus decem & quatuor captis fundauit; & Vladislai animum geminata victoria exhilarauit. Qui propterea pedibus Cracouiã ingreſſus apud omnia templa ſupplicationes obiuit, & ad comitia, quæ ad natalem Chriſti indixerat, tandem eſt profectus. In quibus cum de Pruſſiæ negotio actum fuiſſet, rem integram ad alia Sendomiriæ comitia placuit reieciſſe.

Vbi porro à Basilien. concilio, quod Eugenius Pōt. Max. cum initio approbasset, tandem Bononiam transferre, & per id conabatur dissoluere, ad Iagellonem Oratores venerunt, & vt ille contra Pontificem concilio fauere, & bello contra Crucigeros abstinere vellet postularunt. Quibus responsum est, Regem ab honesta pace nunquam abhorrere consueuisse; sed Crucigeros pactis conuentis respondere etiam oportere. Cæterum ad concilium legatos regios ituros, qui de ipsius voluntate facerent patres certiores. Cum his dimisi legati ad Crucigeros in Prussiam, vt ad pacta conuenta explenda eos hortarentur, è vestigio sunt profecti. Iam vero comitiis venientibus Sendomiriæ, de bello contra Crucigeros administrando, nihil remissius agebatur. Vna quidem res, de bello inter se consultantes gerendo, maxime morabatur; grãdæua Regis ætas, & caligantes iam oculi, siquidem non solum molestius, sed & infestius est nihil tractanti Rempub. debilitatis viribus & cœcitate. Itaque tertia

iam

iam armatorum comitia, ad diem S. Ioannis Baptistæ, Colum indicere placuit, & Bohemorum quæ offerebant auxilia in Crucigeros non aspernari. Quanquam Episcopis id consilii non vsquequaq; probabatur. vti enim religionis hostib. in hostes opinione, magis in bello regredi quã progredi semper est animaduersum. Interim tamen dum illud tempus, quo Poloni & Crucigeri simul conuenire debuerant frustra expectabatur, Bohemi Ciapkone quodam Duce Maioribus Polonis coniuncti, nouam, quæ Crucigeris paruerat, Marchiam ferro igniq; peruastarunt. Quo eodem pariter tempore & Sigismundo in Lithuania Duci de Liuonien. quoque Crucigeris incruenta cessit victoria, ita vt veniente armatorum Comitiorum die efflagitare omnes à Rege inciperent, vt gerendo contra Crucigeros bello nihil moræ interponeretur. Ita demum nonnullis de Senatu grauibus consilio & ætate grandæuis viris, apud se ad consultandum reseruatis, Rex quidem substitit ipse, sed Nicolaum Michalouium

gente

gente Roſſeum Caſtellanum & Capitaneum Cracouien. cũ exercitu ablegauit, eo conſilio dato, ne tam in oppidorum & arcium expugnatione hęrendum, quam in agris Crucigerorũ longe lateq; depopulandis inſudandum ſibi eſſe recretur. Verum ille paulo quidẽ poſt in Pomeraniam profectus, & monitorum regiorum oblitus, circa Choinitiæ oppugnationem ſua & multorum opinione diutius fuit detentus. Nam erat oppidum illud aliquo modo munitum, & præterea etiam immenſo aliunde importato abundabat commeatu. Quod ille, cum obſidionem diutius duci animaduertiſſet, primum quidẽ tentatũ cuniculis, vi & impetu, ſed fruſtra expugnare conabatur: ſed cũ nec hoc etiam ipſum ſucceſſiſſe, & Bohemi, à quibus id minus ſperabatur, terga porrexiſſe ſpectarentur; multis vtrinq; acceptis vulneribus, ſed tamen à noſtris plura incommoda & infamiã magis paſſis, infecta re eſt diceſſum. Atq; tum demum regiorũ mandatorum ſero ſerioq; Michalouius recordatus, cum duos menſes integros

apud

apud Choiniciam con ſumpſiſſet, in interiorem Pomeraniam cũ exercitu eſt profectus. Solent enim multi, non niſi accepto damno, dicto fieri audientes. Primũ ergo multa & præmunita prętergreſſus oppida, Derſauiam Michalouius venit, & per eos quos præmiſerat ſuburbana incendit. Ex quo incendio præter opulentam prædam ſupra decem captiuorum millia in regiorum peruenerunt poteſtatẽ, ex quibus quicunque Bohemi reperti fuerant, Czapka Bohemorum regiorum præfectus vt ſibi donarentur impetratos, ac quod contra Polonos conſanguineos ſuos militarent prius obiurgatos, ingenti Pyra extructa excuſſit. Cuius Ioãnes Straſſus Bialiconius exemplũ ſecutus, pyratas ſiue claſſiarios ergaſtulo quodã concluſos, quorum inter Crucigeros multi fuerant, circũiecta palea fecit penitus conflagrare. Qui cum effracto ergaſtulo fuga euadere voluiſsẽt, aduerſis Polonorũ haſtis excepti ſunt, & ferro atq; flãma multi eorum perierunt. Matronis quidẽ & puellis ipſorũ nullus nõ habitus honos, & ſingula-

gularis in captiuos declarata est mansuetudo; vsque adeo vt publica etiam custodia adhibita & diligens inquisitio fuerit facta, ne quæ forte earum occultaretur. Quæ res Michalouio Duci & Polonis omnibus, vel hostibus ipsis felicitatem omnem ipsis imprecantibus, & suorum Crucigerorum barbariem & vastanda Polonia feritatem detestantibus, maximæ extitit admirationi. Nihil enim commendatius in milite est lenitate, cui non aliud quam perpetua in bello crudelitatis proposita est magis vicissitudo. Quibus rebus apud Dersauiã gestis, ad Gedanum seu Dantiscum castra mota, quatriduoque in eius vrbis conspectu statiuã habita, & omne territorium peruastatũ. Vbi etiam alacrissimus quisque militum ad mare veniens, longius in salum atque fluctus insiluit, vt Polonorum ibi etiam arma spectata fuisse dicerentur: quæ aliquando Balthico mari superato anseaticas vrbes, regnaque adeo transmarina condidissent. Iam vero Pomerania vsque ad mare peruastata, Tucholien. & Iasse-

necen. oram regii milites acriter infesta-bant reuertentes, adeo vt eo nuncio Crucigeri grauiter moti, legationem in Polonorum castra mittere minime dubitarēt. Ad cuius postulata dum primores inter se consilia ineunt, iuniores temere in arcem impetu facto, eosq; exercitus totus subsecutus, vno eodēq; momēto ipsam capiūt, & incendūt. Quod factū præsertim cū de pace tractaretur, Crucigeri suggillantes grauissime pertulerūt. Sed Polonis iniussu suo illud fuisse factum, dum adhuc nec pax neq; bellum certum constaret dicentibus, trimestres induciæ inter Polonos & Crucigeros tandem initæ memorantur. Vnde tādē toto exercitu Michalouios dimisso, ad Regem Pizdros iussit Bohemos proficisci. Nauauerant hi egregiam Regi Regnoq; operā: itaq; honorifice splendideq; habiti, & amplissimis donis cōdecorati, nihil quicquā labis ex eorū consuetudine q̄ hæretici essent Polonis relicta, in Bohemiā reuerterūt. Rex porro ipse Scecinen. Duce nouo obligato fœdere, pestē fugiēs, quæ in Maiori Polonia pasim grassabatur,

sabatur, in Sendomirien. tractum se recepit; & in itinere Pressouiam cum venisset, Bohemum quendam sacerdotē hæreticum, pariterq; etiam Astrologum, quo cū semotis arbitris diu collocutus est, obuiā habuit: quod cum ad Zbigneum Episcopum esset perlatū, veritus, ne quod aut in religionis aut Reipub. negotiū se ingessisset, Rege grauiter obiurgato sacerdotē alio amādauit. Qui in Conciliū Constantien. simul cum aliis collegis profecturus denuo idem etiā fecit, & recensitis breuiter non minus virtutibus, quam vitiis etiā Regis, tanquam diei illius supremam vocem testē suę in Rempub. relicturus esset voluntatis, nęuos eius modeste exaggerauit. Cuius sermonem Vladislaus interrumpens fremens & lachrymans in eum rursus inuectus, & nescio quæ nō eiusmodi mala ipsi est minitat⁹. Sed paulo post se recolligens æquior ipsi fuit, atque, vt mox dicemus, annulo nuptiali ex testamento ipsi donato, quanta & ille moderatione & Zbigneus esset integritate non obscure declarauit. Nec multo post Cometes vnū

mensem pernox, eius mortis apparuit prænuncius; quã ille, Cracouiã tot ante conuentibus peractis profectus vt inde in Russiam à Stephano Valachiæ Palatino iusiurandum exacturus se transferret, sibi accelerauerat; cum paulo ante Fridericũ quendã Russum, qui apud Czorstinũ prędonicã agebat, aulico suo comitatu extirpasset. Peruenerat autẽ iam ille Grodecũ sex à Leopoli milliaribus Russiæ oppidũ, cum mortem suam actutũ futuram præsentiens, sacris misteriis procurari voluit, demũ offensarum venia ab omnibus postulata, aliisq; vicissim data, & testamento quos singulis annis emendabat condito, filiis & imprimis Vladislao procerum tutelæ commissis, pridie Calend. Iul. vitã cum morte commutauit. Ne quis vero vel aliquam iniuriarum memoriam retinuisse eum suspicaretur, annulum à Regina Heduigi nuptialem Zbigneo legauit Episcopo, quo cum tam acre & crebrum de & in Repub. habuit certamen. Principem iure & merito memorandum, qui numerũ eorũ fere omniũ annorũ quib⁹ in

Polonia regnauerat, tantũ non totidẽ victoriis adęquauit. Rex in omni vita abſtemius, & colẽda religione exercẽdaq; in omnes beneficẽtia clarus. Quam vnã virtutem ità ſibi cõmendatã habuit, vt profuſis etiam donationibus ærarium publicum exhauſiſſe, & Martinus V. Pont. Max. datis ad Leopolien. Archiepiſcopum literis, eius largitatem memoretur inhibuiſſe. Arces quidem vrbesque non condidit nouas, Mednicen. tantum atque Kiouiẽ. Baſilicam inſtituit, & Epiſcopis attribuit, Monaſterium Lublinen. extruxit, in Cazimirien. Parochiam Canonicos D. Auguſtini inſtitutum profeſſos induxit, Gneſnen. Sendomirien. & Viſlicen. templa Græca pictura decorauit. Venationũ vltra modũ extitit auidus, & nullius quanquam exiguum munus aſpernatus, quod & munifice referre erat ſolitus, & fere ſemper dimidium dabat petẽtibus, iniuriarum obliuioſus, ad maleficorum ſupplicia lentus, ſed nimis aliquando adulatoribus facilis & credulus æſtimatus. Cui ſuperſtitiones quædam, quas inde à tene-

ra ætate imbiberat, ita erant perpetuo familiares, vt priusquã in turbam se dedisset, ter in gyrum se vertere, & totidem stipulam confractam abiicere diceretur consueuisse. De reliquo cultui diuino intentissimus, & diebus ieiunii solo pane & aqua fuit contẽtus. Staturam habuit corporis mediocrem, faciem oblongam, macram, & ad mentum protractam, caput paruum, caluum & fastigiatum, oculos nigros, paruos & instabiles, ceruicem longam, vocem citam, sed ad grauitatem cõpositam. Qui mense Iunio in Russia mortuus, in Augusto Cracouiæ est tumulatus. Cui Sigismundus Rex nepos cratem ferream cũ hac addidit inscriptione. VLADISLAVS IAGELLO Rex tum Christi fide suscepta, tum gente sua Lithuana conuersa, & summis in Remp. Religionem, & Studia meritis, tũ magna illa Victoria Prutenica clarissimus, Diuus Sigismundus Auo merentissimo instaurauit.

Anno salutis M. D. XXII. mortuo anno M. CCCCIII.

Regni sui 48.

VLTIMI IAGELLONIDIS SIGISMVNDI AVgusti Regis Poloniæ Vita.

SEPTIMVS Iagellonum Regum à Iagellone primo abnepos eius Iagellonides fuerat vltimus Sigiſmundus Augustus dictus; diuerſo quidem nomine, ſed eodem prorſus Princeps genere, quod Iagello primus diademate in Polonia auctũ, multis Iagellonibus non ſolum in Polonia, ſed alibi etiam regnantibus, virtute & exemplo ſuo reddiderat illuſtratum, posteaquam non ſolum Poloniæ Rex, ſed & Lithuanorum Apoſtolus merito diceretur. Qui falſorũ Deorũ cultu longe à patria amoto, & toto populo ad Chriſti Opt. Max. religionem conuerſo, Euangelii lucem in Aquilone propagarat. Extremus vero Iagellonides, eiuſdem ſeminis licet nõ nominis Princeps, quod auitã religionẽ non vſquequaq; feruẽter perpetuo coleret, non ſolũ diem, ſed & genus clauſit in

Po-

Polonia suum; & tot Interregnorum procellis perculsum, ac intestina discordia, & non sereda licentia auctum, aliis atq; aliis post se Principib. possidēdum reliquit dominatum. Natus is Sigismundo primo fuerat Patre optimo & gloriosissimo Principe, & Matre Bona Sforcia, quę duobus Iacobo & Izabella editis prius partubus, hunc etiam Iagellonidem, vltimum, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo fecit aspicere lucem, ipsis à quib⁹ & dictus fuerat Calendis Augusti. Quam triēnio ante ab extremis Italiæ oris in Poloniam venientē Cardinalis Hyppolitus Ferrarien. nuncupatus, idemq; Strigenien. Archiepiscopus, ad Regem Poloniæ confinia, prosper Columna magni nominis exercituū Imperator, in ipsam Regni Metropolim Cracouiam vsque est comitatus. De cuius quidem Sigismundi Augusti Regis Poloniæ ortu & diuersorū nominum progenitoribus claris, vt vel antea etiam dixerimus, tamē & nunc denuo, id quod de Iagellone, stirpis Regiæ auctore, & de aliis sanguinis Iagellonici

Regibus, qui nunc hîc nunc alibi præfuerant rebus, breuiter aliquid adiungemus. Nam cum Iagello primus, Vladislaus ad sacras vndas dictus, diem suum obiisset, duos filius, Vladislaum vnum, qui ad Varnam cecidit, & alterum Andream Cazimirum dictũ, regni sui reliquerat successores, qui demum Vladislaum natu grandiorem filium, qui Hungariæ Bohemiæque pariter Ioannem, Albertum, Alexandrum, & Sigismundum, qui Poloniæ Reges fuerant, nec non & Fridericũ Cardinalem, & Cazimirum in diuos relatum, & filias item sex omnes præcipuis Germaniæ Principib⁹ elocatas, ex Elizabeta Austriaca Cæsaris Alberti filia, feliciter generauit. Solet enim Deus Opt. Max. progenitorum in propaganda sua religione ardens illud studiũ non tantũ multiplici, sed & sancta interdũ prole, munificentissime semper pẽsare. Sed vnus ille Rex Sigismundus hoc nomine primus, nõ secus quã Iagello auus, rebus gestis, & sacris ædificiis erigẽdis clarissim⁹, pacẽ colẽdo, hostes terrẽdo, & suos iuste ac moderate gu-

bernando, Iagellonium nomen & ſemen maxime illuſtrauit. Qui cum ex Barbara Sepuſia vxore ſua prima nullos liberos, præter filiam Heduigim Ioachimo Marchioni & Electori Brandeburgen. poſtea elocatam, habuiſſet, Regina Bona auctore Maximiliano primo Auſtriaco Cæſare in matrimonium ducta, hunc Sigiſmundum Auguſtum ſortitus eſt vnigenam filiũ; cũ annos eſſet natus circiter quadraginta, & regnaſſet iam quindecim à morte fratris ſui Poloniæ Regis Alexandri. Qui quidẽ Sigiſmundus Auguſtus, Ioanne quodam Siculo præceptore vſus, vt in literis profectus ſaltẽ aliquos facere potuiſſet (quã-quam non vſquequaq; etiam earum poterat dici expers) matris certe indulgẽtia, & molliuſcula educatione, ne maiores feciſſet impeditus fuit; & ad voluptates blandiſſimas dominas, quæ illũ corpusq; eius eneruarunt, animum ſtatim adiecit. Quod etiã ipſe ingraueſcente iam ætate, vt non admodum videretur ſenex, non dubitabat confiteri. Multos enim pœnituit ſenes, quod feciſſent adoleſcentes.

Qui idem vix nonũ exegerat annũ, vt de eo in Regem inaugurando, illa ipsa, quæ voluptatibus etiam frui permittebat mater, apud Regẽ maritum laborauit. Quod vel idcirco curabat maxime, ne forte ad Interregnum veniente re, & patre interim emortuo, vt humanæ vitæ exitus sunt incertissimi, regnũ aliquis alter ipsi surripuisset. Erãt tum Ianussius & Stanislaus Masouiorum Duces florentissimi, ex antiquissima Regũ Poloniæ familia oriũdi, quorũ alii atque alii maiores Iagellonici sanguinis Reges in adeundo regno subinde impediebant. Quos eosdem Masouiorum Duces, vt intemperantia longiorẽ vitã sibi multi credant abbreuiasse, plures tamen veneno sublatos testabantur, & Iordanouius ac Cliczewska quæ supplicio affectę fuerãt (vt in multis paucos numerẽ) in quæstionibus fatebantur. Non obscure namq; venena spargi erant cœpta in Polonia, & Italorum non nemo male hoc nomine audiebat, adeo vt vel Regina etiam ipsa Bona in primo quasi aduentus sui principio, aliquorum de se

loquen-

loquẽdi libertatẽ, & ipse Sigismũdus pater in creãdo filio non modicam experiretur difficultatẽ. Sed vnus ille Andreas Tencinius nõ insulsum suggessit ipsi cõsiliũ; q̃ vt Regi bene de se merito repẽdisset gratiã, quod Cracouien. Castellanum præ tot senibus, impuberem, primarium totius Regni creauerat, cum magna aliorum inuidia, Senatorem, suasit vt in Lithuaniam etiam ipsomet in comitatum se offerente prius proficisceretur, & à Lithuanis filio creato Principe demum etiam de inaugurando in Regem Poloniæ facilius laboraret. Obseruatum nempe est, sub vnius & eiusdem Regis imperio diuersis nationibus quasi quoddam perpetuum semper esse certamen. Quod & in illa Sigismundi Augusti inauguratione fuit vidisse, & vt non sine difficultate, tamen in filio ab ordinibus eligendo Regem quæ volebat obtinuisse. Vnus ille Ioannes Lascus Archiepiscopus Gnesnen. primæ in Senatu vir sententiæ, maxime his postulatis Regis refragabatur, & tam in comitiis Petricouiæ, anno à partu virginis supra mille-

simum

ſimum & quingenteſimum trigeſimo Petricouiæ habitis, in quo etiam Bononiæ Caroli V. Cæſaris inciderat inauguratio, quàm & in ipſa Cracouien. inauguratione aperte reſiſtebat. Quod nullius frugi futurum & Rempub. turbaturum, prædicebat. Vnde etiam Caſtrum Cracouien. cũ inaugarabatur, ter memoratur fuiſſe occluſum, & vix tandem ſub crepuſculum ſenem placatum. Studetur enim vbiq; & ſemper rebus perpetuo nouis, & Regibus inuidetur viuis, reſiſtitur autẽ propter ſpẽ nondũ adultis. Quibus Tencinii ex aduerſus cõſiliis maxime aduerſabantur, qui toto Regno precipuæ erant auctoritatis, & ſicuti quidem poſt Albertũ Alexandro Sigiſmundũ patrẽ volebãt antelatũ; ſic & eius filii Sigiſmundi Augusti omni ratione maiorum ſuorũ more auctã auebãt dignitatẽ, de cuius molliuſcula educatione quomodo paulo ante obiter feceramus mentionem, ſic quomodo ſe habuerit fuſius perſequemur. Poſt aliquot ab inauguratione Sigiſmundi Auguſti annos habita ſunt Petricouiæ

comi-

comitia, in quibus de filio non omnium optime educato cum Sigiſmundo Rege patre à Senatu fuit expoſtulatum. Ac primus quidem ille Petrus Choinſcius Cracouien. Epiſcopus, & Regni Poloniæ Procancellarius, qui expoſtulaſſet fuiſſe memoratur. In quem Rex paulo aſperius inuectus, & quod non publice, ſed priuatim illa ſibi expediebat dici, aliorum etiam orationis libertatem contra ſe excitauit. Ingrate enim auditis offendimur noſtris, & libertati Senatoriæ reſiſtentes, dicendi licentiam vulgi contra nos prouocamus. Factum quidem eo fuerat, vt Andreæ Opalenio, viro multarũ rerum & linguarum gnaro matris exemptus imperio, Regis filius protinus committeretur. Iam decimũ ſeptimum agebat ille annũ, cum hæc omnia fidei & poteſtati Opalenii mãdabantur. Quod etiam non minus libenter quam etiam præſtitit ille ſtudioſe. Tantum enim in educatione poſitum eſt Principis, quantum plus vel minus habitura eſt Reſpub. aut ex eo commodi, aut etiam dignitatis. Vidiſſes igitur quan-

tum discendo, audiendo, & auctore Opalenio semper aliquid agendo, Sigismundus Augustus immutatus fuerat, adhuc in ipso flore ineuntis iuuentutis. Regũ enim filii facile virtute conuertũt in se omniũ oculos, & si expectationi nõ responderint contemnentur. Itaque cum tales progressus faceret, Lithuani sibi ad gubernacula eũ dari imprimis deposcebant: quorũ præcipui Nicolaus & Ioãnes Germani fratres Radiuilii maximo cũ splendore in aula ipsius versabantur. Qua etiã de causa ipsum adeo Sigismundum patrem confectum iam senio Brestã vsq; protinus euocarunt. Qui dum per Varsauiam trãsiret, subito incendio media luce orto, totũ illud oppidum mirũ in modũ repente cõflagrauit, ita vt ex iis ædibus, quæ erant olim extructæ Ducibus, ad Bernardinorum Monasterium, vitandi periculi causa, per hortos oportuerit eum clam transferri. Brestam autem vt venit, & frequentes Lithuanos in ea deprehendit, dedit Magnũ Lithuaniæ Ducatũ ita filio possidendum, vt summam rei & imperii penes se vtique

reſeruaret. Occultas namq; vires viruſue potius regnandi habet ambitio, propter quam vel ipſos filios nō ſemper ſibi fidos experiuntur genitores. Quibus ad eum modum conſtitutis de thori ſocia filio Regis adiungenda cœptū eſt conſultari; propterea quod tam cuſtode quam ſocio remoto, in iuuentute luxurioſe victurus; matrimonio autem contracto compedes ſibi iniecturus, & patris imperium ſtabiliturus credebatur. Nihil enim quam certa ſucceſſionis ratio, & ipſa filiorū fœcūda generatio, firmos & diuturnos magis efficit principatus. Offerebant interim ſe virgines & viduæ Regis filio quāplurimę, ſed nulla quam Ferdinandi Romanorum Regis filia Elizabeta magis probabatur. Quā ex Anna Vladiſlai Sigiſmundi maioris natu fratris filia primam in liberis ſuſceperat, & quam inter reliquas maxime dotarat, & exornarat. Necnon & illud in mentem veniebat pariter: Quod duobus illis fratribus, Carolo & Ferdinando, toto terrarum orbe potentiſſimis, Cæſarea familia natis Principibus, multum com-

modi & ornamenti Reipub. ex ea amici tate, quæ veterum etiam offensarum aboleret memoriã, esset procul dubio accessurum. Nam vt illa vetera habita fuissent, non nemo quidem certo inter Austriacos, & Iagellonios Reges, primum ex Vilhelmi Friderici III. Cæsaris patrui causa Iagellonis à Polonis repulsa, mox ex Alberti Cæsaris posthumi filii contra Vladislaum Iagellonidem in Hungaria regnantem altera, & Maximiliani Cæsaris qui post Matthiam Coruinum ex quadam pactione Rex Hungariæ esse debuerat, contra Vladislaum Polonum, Bohemiæ primum mox & Hungariæ Rege tertia, intercessisse aliquid simultatum acutius obseruabant, illud interim silentio tectũ fuisset, quod Sigismundus primus Poloniæ Rex, & Sepusia domo Austriacis inimica Heduigim vxorem duxerat, & non nisi Possonii Bona Maximiliani Cæsaris propinqua desponsanda, reconciliari ei poterat, cuius loco Ferdinandus Vladislai Regis filiam iussus est vicissim matrimonio sibi copulasse. Quanquam hæc

ipsa

ipſa Regum affinitas in dubium vocetur, & obliuioni tradatur aliquando. Vltionis enim & regnandi cupiditatis ſitis etiam iterandis connubiis raro expletur. Hanc igitur Elizabetam Auſtriacam Sigiſmundus Auguſtus thori ſibi aſciuit ſociã, & tantopere deſideratas eius nuptias, quibus auguſtius vidit Polonia nihil, maximo hominum concurſu & lætitia Cracouiæ celebrauit, anno à nato Chriſto ſupra ſeſquimilleſimum ſecundo & quadrageſimo, vbi multorum Regum & Principum legati, ac deniq; Principes confluxerant ipſi, ac variarum gentium & nationum proceres infiniti. Adeo in coniunctione Regum non parum reponitur, nõ tam ſpei, ſed & rei ipſius, quę inde oritur vicinorum tranquillitatis. Sed vt humana omnia varios & incertos exitus, & ipſius vitæ terminos habent peranguſtos, mortua tãdẽ nulla relicta prole Regina Elizabeta abſente marito eſt Vilnæ; & quidem mortua, non ſine manifeſta veneni ſuſpicione. Quod etiam ipſum in comitiis imperii Vormatię, cũ à Carolo V. Cæſare

eius patruo fuerat ipsi parentatum, pro concione dicebatur. Omnes enim Reges & Reginę odiosæ tādē fiūt, quę metu sterilitatis procul amoto, liberos spē vnicā regni populis non relinquunt. Ad cū modum Sigismundus Augustus Vilnam reuersus, & matrimonio quod contraxerat solutus, voluptatibus, quibus à iuuentute assueuerat, operā dare cœpit, & eius rei administros facile conquisiuit. Cum enim omnibus, tum maxime Principibus ministrorum copia & maxima est licentia delinquendi. Spectabatur vero eo imprimis tēpore vidua quædā pernobilis, Barbara Stanislai Gadzoldi Trocen. Palatini coniunx, ex amplissima Radiuilonū familia nata. Quam Rex semel & iterum intuitus, deperire cœpit, & cum in amore inito perstitisset, vxorem ducere, atq; adeo & diademate regio insignire stipulata manu ipsi promisit. Dissuadebant hoc ei quamplurimi, & inter alios eius Germanus frater Nicolaus Radiuilus, Sigismūdi Regis à poculis charissimus, postea quidē Trocen. & Vilnen. Palatinus, necnon

belli

belli Dux in Lithuania creatus bis, ſupremus: verũ in amore quo plures diſſuadere, maiores faces admouere (vt plerunq; fit) conſueuerũt. Conſenuerat iam totus pater, & rumores qui de filio ſpargebantur maximopere valetudinarium affligebant. Quo magis & per literas, & poſtremo in comitiis Petricouiã occaſionẽ liberius alloquẽdi filii nactus, vt ab hoc impari abſtineret matrimonio ſerio & grauiter eum monebat, apertis etiam ſiue ob terrorem, ſiue ob ipſam rei veritatem quibuſdã ſecretioribus, quæ poſt tam auguſtum prius matrimoniũ ab altero filium cohibuiſſent. Sed tantum quidem abfuerat, vt ille eo commoueretur, vt etiam ceu quaſdam adhibuerit machinas patri, ne moleſtus ſibi fieret, apud ordines omnem auctoritatem quoad maxime poterat adimẽdo. Quod ea plane faciebat ratione, vt tã ſenatorii quã equeſtris ordinis prehẽſaret ſibi præcipuos, qui ſi regnare pater vellet, ius ciuibus ſuis diceret impenſe eũ ſolicitarẽt. Qua de re apud Petrũ Kmitã, Palatinũ Cracouien. grauiter queſtus, &

eorum comitiorũ æſtu maximopere exagitatus, Petricouia diſceſſit; ac lento itinere Cracouiã Rheda perueniens, anno ætatis ſuæ octogeſimo primo Calendis Aprilis expirauit. Filius interim Vilnam ſe recipiens in amplexus Barbaræ ruere eo liberius cœpit, ac non ita quidem cito de paterna morte accepit nuncium, vt in arcem publice eam quoq; introduxit; nõ ſolum admirantibus, ſed pene etiam frementibus omnibus, qui non priuata libidine, ſed conſilio & auctoritate Senatus Regibus ducendas coniuges non dubitanter teſtabantur. Quæ res adeo in ore vulgi etiam verſabatur, & per totum Regnum increbuerat, vt cum quid Nobilis Laurentius Grabski priuatorum ſuorum negotiorũ ergo in aulam Regiam ex Polonia Vilnam veniſſet, & Barbaram in thalamum regium duci animaduertiſſet, non prius Reginam apud ſe futuram, quã Cracouiæ vidiſſet eam inaugurari, ad aſtantes exclamauerit. Quo ipſo nomine, militari obſtrictus iureiurando, vt cauſam diceret à Nicolao Radiuilo

ſummo

ſummo Lithuaniæ Marſchalco iuſſus fuit. Nec tamen diu poſt eo ſolutus, reuertendi in Poloniam facultatem impetrauit. Peior quippe morbo non raro eſt curatio. Iam vero Regii funeris inſtabat tempus, cum matris Senatusque literis Sigiſmundus Auguſtus Rex ad tumulandum Patrem euocatus, Calendis Maij Cracouiam venit; nec tamen eius corpus, maxima etiam licet ſolicitudo fuerat, quam menſe Iulio ſepeliuit. Nam incendium in ipſo regio aduentu Cracouiæ ortum, omnes omnium nominum, ordinū & ætatū homines ita exterruerat, vt regiū corpus ex vno in alium locū oportuerit transferri, & non nemo parum auguſti Auguſto in illis principiis viſus eſt augurari. Multi enim gubernantibus infeſti, præſentibus nō contenti, futurorū auidi, (vt plerunq; fit) principia rerum temporumq; perſcrutantur. A funere de elocādis regiis ſororibus actum conſultumq; eſt diligenter. Nec mora & ipſum comitiorum regni tempus Calendæ menſis Nouembris Petricouiæ conſtitutæ.

Quantumuis poſtea à Nouembre vſq; ad alterius anni principium Petricouia non fuerat conuentum, ea quidem frequentia fremituq; cunctorum, vt fatua Comitia vulgo apud omnes dicerentur. Neque id quidem temere. Nam non ſolum in Polonia, ſed per vniuerſum terrarum orbē vidiſſes aliquid turbarum dari, cum Carolus V. Cæſareo biennio à Smalcaldico bello geminata comitia imperii celebraſſe, Ferdinandus Germanorum Rex Bohemicos motus ſedaſſe, Germania multos inter ſe Principum cōflictus ſpectaſſe, & deniq; Polonia non vſquequaq; quieta conſtitiſſe memoretur. Petricouiam igitur poſtremo vt fuerat ventum, ſalutauerunt Regem Ordines, ſatis, vt videbatur initio, reuerenter: ſed municipalium legatorum, vt habita ad Regem publico nomine eſt oratio, Ioannes Sirakowski, poſtea Palatinus Lencicien. ab eodem illo creatus Rege, ipſius connubium nouū libertate magna dicendi exagitauit; adhibitis inter perorandum multis magniſq; aculeis, & exemplis ad perſuadendum ve-

tustatis, eo autem maxime, quod Reges ad regendum, & non Imperatores ad imperandum in Polonia eligerentur; & q; Cazimirus Sigismundi Augusti Auus Elizabetam Austriacam sibi Cracouiam allatam coniugem, vel inuitus ordinum consensu retinere coactus fuisset, quanquam propter deformitatem initio ipsi displicuisset. Quanto vero magis par & æquum videretur, vnum omnibus potius gratificari, qui à se prius quam ab aliis regendis gubernaculorum suorum initia deberet inauspicari. Ad hæc similiaq; dicta non iam per interpretem aut Cancellarium, vt moris est, sed ipsemet Rex municipalibus legatis ita respondit. Non magis quidem vitam, quam ipsam Rempub. sibi esse chariorem, sed cum illa fide data fuerit salua, non videre se quo pacto eadem illa fides in dubiũ rursus sit reuocanda. Non valuit apud nobilitatem ea ratio & oratio: quam cum dici cœptæ fuerãt in Senatu etiã sentẽtię Nicolaus Dzierkowski Archiepiscopus Gnesnen. vir primæ in Senatu sententiæ, simplici & re-

cta cohortatione ad Regem facta, adeo etiam infirmauit, cum ad aliud matrimonium boni publici & quietis gratia Regi veniendum, quã turbanda omnia potius iactaretur. Verum vt rursus ad Samuelem Macieiowski Episcopum Cracouien. regnique Cancellarium ordine est peruentum, cum tribus aliis Episcopis, & cum Ioanne Tarnouio Castellano Cracouien. qui in Senatu in politicis principem locum obtinebat, à regiis partibus firmiter stare omnes omnino videbantur; ita quidem, vt non admodum regium factum probare, sed tolerandum vtiq;, quam in vulgi inuidiam vocandum, potius testarentur. Ac ne multa. Quæstionem illã nõ tam boni publici causa, quam potentiorũ excitauerat ambitio; qui cũ dicundo iure multum penes Regem possent, & adhuc plus posse cuperent, & vt denique Principẽ argento emungerent, ac opibus honoribusue se ipsos augerent, partim quidem auctoritatem suam tueri, partim ad Interregnum ducere rem, per hanc causam & occasionẽ sedulo nitebantur. Multi enim

ti enim veterum familiarum pertæsi Principũ, quadratis rotunda mutant, permutantq; sæpe omnia non peræque sapiẽter. Vt autẽ breuissime dicam, magna quidẽ contra Regem & eius consilia exciterat illa contentio, quam Petrus Kmita in minori, Andreas Gorkanus in maiori Polonia potentissimi omniũ tuebant Senatores; quorum ille Tarnouii, hic Tenciniorum æmulus vulgo dicebantur extitisse. Quanquam & Tencinios ipsos à suis partibus stantes iam amplius Rex non viderat, cum vnus ex illis Ioannes Tencinius Palatinus Sẽdomirien. & aulæ præfectus, ausus fuerat dicere; Malle se Solimanum in arce Cracouien. quam aspicere Barbaram diademate insignitam. Quæ vox portenti instar semel elapsa, ad exteras etiam gentes nationesq; peruolauit. Sed neq; Tencinio inferior Petrus Kmita Palatinus Cracouien, & summus toto regno Marschalcus eodẽ conuentu spectabat; qui vt defectu solis naturam, sic errore regio turbari affirmauit Rẽpub. Cui Rex ne ipsi molest⁹ esset stomachãs respõdit:

In aliis certe rebus vltra etiam modum patiens fuit, & turpes in publicis etiam parietib. picturas, & probrosa tã de se quã de sua coniuge carmina nec quidem prætereundo aspexit. Remedium enim iniuriarum, ipse contemptus, & obliuio earũ, maximum est remedium. Sed cum hæc non successisset, aliam etiam viam ingressi sunt molitores, & nouam quandam rationẽ, quæ iam non Barbaram, sed ipsum petebat Regem, inuenerunt. Etenim cum & Senatus, & municipales adeo legati Regis in proposito fracti essent perseuerantia, vt ius tandem non diceret, neque bellum aut tributũ imperaret, flagitarunt, quoad auctoritate comitiorum secus non fuisset decretum. Quod vt saltem ratione aliqua iuste petere viderentur, illud iuramentum, quo interposito Sigismundus Pater filio regnum renunciauerat, proferebant; vbi inter alias hæc quoq; fuerat conditio, ne Sigismundus Augustus ius in regnum haberet, priusquam Lithuaniã cum Polonia coniugaret. Quę quidẽ seria & probabilis vulgo videbatur ratiocina-

tio;

tio; sed neque illa ludicra, quam ad excusandum Regem ex opposito alii afferebant, qui quonam modo tam diu Rex Augustus diceretur, si nullam in regno haberet potestatem, mirari se testificabatur. Nam quod ad conditiones nondum expletas attineret, opus ad eam rem esse tempore temporisq; ipsius opportunitate, cum non subito coalescant inter se prouinciæ, quæ suis legibus & consuetudinibus fretæ, & longis locorum temporũq; interuallis essent distinctæ. Hæc Samuelis Macieiouii, & eiusdẽ cũ ipso sentientium Episcoporum sententia. Hæc Tarnouii Castellani Cracouien. & summi belli Ducis, ac quasi totius Senatus illorum tempor. Principis, mens & oratio audiebatur. Cui Petrus Kmita vt per annos antea triginta perpetuo in Repub. aduersatus fuerat, cum dies iudiciorum aduenerat, Regem quoq; adiit, & simul vt litium controuersias diiudicare ipsum viderat voluisse, reuerẽter veneratus, sceptro in terra relicto, è Senatu discessit. Nolle se ibi adesse, vbi totus conuelle-

retur status libertatis testificatus: cũ quo & abiit reliquus etiam ille Senatus, præter Macicìouium, & Tarnouium, & paucos alios, qui regiis partibus adhærebant, vt ita mira & vix ante audita res illa in Polonia videretur. Quam tamen Rex haud ita moratus, ius omnib. ex æquo dixit, & vsq; ad comitiorum extremum Petricouiæ perdurauit. Demum vero eo cõuentu soluto, non modo quidẽ Senatores, sed præcipuos quosq; etiam Nobiles literis certiores fecit, quam ab eorum municipalibus, Legatis, sursum ac deorsum omnia agitata fuissent in comitiis; & quam inique & petulanter dixissent egissentq; cuncta, specie quadã defendendæ libertatis. Cui, tantum abest, vt aliquo modo prouisum fuisset, vt adeo adducta viderentur cuncta in grauissimum tandem discrimen. Quod nonnulli tantum vt turbarent omnia, & vt contra imbecilliores suam augerent ostentarentque potentiam, impotẽter prosequebãtur, nunc hoc, nunc illo modo auctoritati regiæ resistendo. In qua tamen re & occasione, & nunc de vxore,

nunc

nunc de iureiurando regio diſputatione, Regem ne ipſius patrociniũ deeſſet Reipub. ipſis reſtitiſſe: & tam vxorẽ quam iuris dicundi retinuiſſe facultatem. Quo magis adeſſent animis, neq; de regia erga ſe fide, & voluntate, & in pactis ſeruandis firmitate vlla ratione dubitarent. Hæc fere epiſtola illa continebat, quæ per prouincias, & municipia peruulgata, ad regiã cauſam momenti plurimum attulit fulciendam. Iam quippe Rex, tot concuſſus malis, non modo de coniuge, ſed adeo etiam & de ſecuritate ſua ceperat dubitare, ita vt ad Ferdinandũ etiam Romanorum ipſum ſcriberet Regẽ, conſiliũ & auxiliũ pro re & tempore ipſi pręſtare, & ſi quid occurriſſet, ope ſua eum ſubleuare, haud ita grauaret. Reuera enim iam de regia in regnũ poteſtate diſputãtẽ audiuiſſes non neminem, & inter alios Matthias Stadnicki in Lelouo oppido, cũ in eũ ferre voluiſſet Iudex ſententiam, illa vna exceptione forum declinauit, quod ordini equeſtri regiam auctoritatẽ nondum eſſe ratã teſtabatur, cuius alibi etiam rei non

obſcu-

obſcura exempla ſpectabantur. Multo enim facilius ad praua quã ad recta vulgo cõſilia properatur. Quo nomine maieſtatis rei quidam fiebant, & tandem damnati, non magna etiam difficultate eo malo ſe liberabãt. Alicubi enim rigore cũ periculo, ſed ſemper tutius Reipub. prouidetur manſuetudine cũ iudicio. Solutis ergo ad eum modum Petricouien. comitiis, & adulto iam vere Cracouiam veniente Rege, memorabilis illa ſcholaſticorum cædes, & inde etiam neſcio quis tumultus forte eſt ſubſecutus, cum à Iuliana lena ſcorto ducẽdo Andreæ Czarnkouii, quinquennio poſt Poſnanien. Epiſcopi facti, quidã familiares iuuenes, in ephebos itẽ ſcholaſticos illud vexantes incidiſſent. Quæ res nõ modo Czarnkouio viro graui & probato vulgo inuidiam, ſed etiam Regi ipſi neſcio quam attulit difficultatem; cum initio regni gubernaculorumq; ſuorum caput regni Cracouiam, ſcholaſticis mox vacuam, & diiudicandis illis rebus aliquid negotii & operæ ſubire cum moleſtia cogeret. Vulgus enim multa, ſed dif-

fi cilia

ficilia maxime ,mali ominis neſcio quid habere perpetuo opinatur. Sed illã ſcholaſticorũ cædem Regina Strelimuſſæ filia ſupplicio expiauit ſuo, cum lenæ ſuaſu interfecta matre, primum quidem candentibus forpicibus diſcerpta mox in culeum parricidarum more inſuta, in Iſtulã eſſet præcipitata. Punit enim per ſe ipſe ſcelera DEVS, vbi neglexerit ipſius Magiſtratus. Nec ita multo poſt extremis Sep̃teb. diebus, Tartari, in Ruſſiã incurſione facta, ingenti hominum armentorumque prȩda abacta, ferro igniq; in ea omnia crudeliſsime peruaſtarant, & Peremircam incenderant, & deniq; Viſneuecium Ducẽ ipſum cum coniuge & liberis in barbaricam abduxerant ſeruitutem. Quo magis denuo conuentum cuncti poſcere, & ordines cogere velle videbantur. Cuius rei gratia Archiepiſcopus etiam ipſe Cracouiam veniens, Regem vt indiceret comitia cohortatus, ſe Reipub. non defuturum & Conuentum indicturũ minabatur. Sed Rex qui eũ tanti non eſſe haud ignorabat, eo inuito Conuentum indicturum nemi-

nem, aperte respondit; & adeo etiam eius rei subiunxit causam: Quod in his conuentibus regia consilia quidã eludere, & tanquã in theatro se consuessent ostentare. Ita Archiepiscopus paucis diebus Cracouię moratus, Louiciũ rursus rediit; nec, vt minabatur, Cõuentũ illum indixit, ac multo minus celebrauit. Interim tamen querelarũ ac insanarũ vocum, & protestificationum tota erat Polonia plena; Rex vero totus solicitus de Barbara in Reginã inauguranda. Venerat illa ex Lithuania iam in Poloniã, & Radomiæ quidẽ primũ, mox & Corcini aliquandiu morabatur. Cui iidem illi, qui & Petricouiæ, sed non peræque iam vehemẽter, irascebantur Senatores. Quod enim consilio non posśis, temporis id lenit longitudo. Ita etiam & Archiepiscopus & Marschalcus regni à priorib. Petricouien. comitiis immutati fuerant, vt qui non modo Barbarã Reginam pati posse, sed nullo non honore etiam affecisse viderentur; eam & Archiepiscopus, die inaugurationi pręstituto, diademate ornauit; & Marschalcus Visneciũ

inuitatam non modo epulis, ſed donis etiam ampliſſimis cumulauit. Magna quippe vis fuerit, tam metus quam ſpei; & nemo eſt conſcius futuræ voluntatis ſuæ, aut euentuum inſequentis diei. Vnus ille Ioãnes Gabriel Tencinius Sendomirien. Palatinus antiqua virtute & genere clarus, cũ collegæ eũ deſeruiſſent, totus immobilis in propoſito ſtetit, & cum aliquãdo Petrum Kmitam anteambulonem Regina vidiſſet, idemq; vt & ille faceret ipſi de induſtria Rex etiam occurriſſet, terga vertere & ſceptrũ in terrã demittere non dubitauit. Conſtat nempe conſtantia magno, ſed nomini vtiq; fuerit ſempiterno. Verum enimuero, his omnibus eorumque auctoribus non obſtantibus, celebrata vtique ac perfecta Barbaræ eſt inauguratio; & tanta non ſolum beneficentia, ſed etiam largitio quædam regia ſpectabatur; vt gnathonibus, lenonibusq; ſuis omnia & veſtes ipſas dilargiretur, ac vix ſufficerent factores nouis rurſus conficiendis. Certat enim prodigus ſecum ipſe dando, & diſceptat de do-

tis viciſſim altercando. Quo loco eiuſdẽ Tencinii Palatini Sendomirien. vox erat ad Regem memorabilis. Nam cum forte pro homagio legatorum Pomeraniæ Ducũ acceptando diſcedere ex arce in forũ Rex inſtituiſſet, & Tencinius num etiam plures Zebelinas haberet veſtes præter illam, qua induebatur, & quæ pro antiqua conſuetudine Marſchalco debebatur, interrogauiſſet; illeq; non habere ſe reſpondiſſet: Dabo tibi ego, inquit Rex, nõ accipiã veſtes, ſed vide cum ego dedero, ne habeat alter, cui minus videbat᷑, quã mihi conuenire. Hæc dum ita Cracouiæ tum agebant᷑, pauci Regni proceres, ſed multo adhuc pauciores externorum Principum aderant in nuptiis Regiis Oratores. Vnus Princeps ille Ioannes Lignicenſium Dux, qui & ipſe vulgo Fatuus erat dictus, quod multos ebrius confodiſſet, ſpectabatur. Cui Rex non mediocrem honorem vtiq; habuit, & ſiue q, & antiquiſſimo Polonorum Regum ſanguine ortus eſſet, ſiue vt ægre ab iis qui aberãt per id feciſſet, maximis muneribꝰ recreatũ Cracouia dimiſit.

Non

Non obſcure namq; Reges & Principes plurimi illud Regium tam audax factum, & non modo Poloni, ſed & exteri varie interpretabantur. Ita vt & Carolus V. Cæſar Vellus aureum, quod patri dederat, per Stanislaũ Oſtrorogiũ ſibi remiſsũ, concedere rurſus renuerit ipſi, & illam quã promiſerat cum Rege Luſitano de loco contentionem ſopire non terminauerit. Sed nec ipſi quidem Barbaræ Radiuilæ, aut dies ſinguli lęti, aut etiam in regio thalamo fuerunt diuturni. Etenim paucis poſt inaugurationem diebus non optime valere Regina cœpit, & ingraueſcente morbo vlcerum, & fœtoris plena, poſtea Cracouiæ expirauit. Quam demum mediis æſtiuis caloribus Vilnam Rex deductam, in æde D. Barbaræ tumulari voluit, vbi opus magnificentiſs. operis nondum perfectũ inchoârat. Incredibile porro dictu fuerat, quanti ea profectio Regi conſtiterit, & quam etiam à morte conſtans in amore Barbaræ fuerit, vſq; ad admirationem. Aderat is, cum veheretur corpus, vbique præſens, vt multi regiorum auli-

corum virorum alioqui præstantium, feretro templis inferendo infirmarentur, & equi coloris nigri, qui currui erant iuncti, cũ in illis caloribus nimiis passim desiderarentur, in eum locũ empti alii, magno ac pene precio constarent infinito. Venditorũ enim caritas, & emptoris necessitas, rerum precia in immensum augescunt. Vilnã porro vt est ventũ, tumulato corpore Barbaræ supellex nauiter est asseruata, quam Rex per interualla inuisere, & profusas lachrymas spargere subinde non dubitauit. Demum cum aliquãdiu quieuisset, indixit denuo comitia Petricouiæ, quæ in annum sesquimillesimum quinquagesimum secundum incidisse memorantur. In quibus Regi matrimonio illo soluto iam quodãmodo maior constare cœpit apud subiectos auctoritas. Errata enim Regum obliuione delentur, sed pertinaciter defensa vel adeo calumniantur. Probabatur autem maxime illud cõsiliũ, vt Rex à negotiis Reipub. factus liberior vrbẽ Dãtiscanã quę à Germanię aut imperii fisco subinde solicitata

fuisset,

fuiſſet, tandem vel ad modicum tempus proficiſceretur. Quod priſtinæ Sigiſmundi Regis in eos animaduerſionis recordatione, & plebis cum patribus diſſenſione, aliq̃d motuũ, niſi mature prouiſum fuiſſet, excitatura aliquãdo crederetur. Hanc quidem ad rem quoniã Rex & dignitatis ſuæ cauſa, & ſecuritatis omnium gratia, pręter aulicum comitatum alio etiam habebat opus; propterea ampliſſimũ & ſplẽdidiſſimum quemq; ſecum pro hoc itinere euocauit: inprimis vero Ioannem Tarnouium, qui Reginam Bonam ex itinere officii cauſa Plociæ inuiſit, & demum ad Regem Dantiſcum ingredientem properauit. Qui vt ab aliis Regibus fieri ſolitũ fuerat, non in Prætorio, ſed in domo quadã Ioannis Verde forte diuertit. Suſpenſa tum animis vrbs tota illa agitabatur, nec tutus vſquequaque aulicis receptus, imo & puluis tormentarius prætorio ſubditus vulgo dicebatur, quæ vt ad confiſionem vtrinq; minuendam, & timiditatẽ ſuſpicionemq; vulgi augendam temere, vt fit, ſpargeretur, Ioannes quidẽ Comes Tar-

nouius homo prudens, & consilii regii Princeps, quosdã ex præcipuis Gedanen. nactus, sic eos priuatim est allocutus: Intelligerent quantum & constanti Gedanen. fide, & Polonorum cõmercio, & denique Regum ipsorum erga se benignitate essent florentes: quam denique multas alias, & magnas Germaniæ vrbes ęquabilitate, iuris & cõmunitate vtilitatis Polonis coniuncti anteirent. Regii aduẽtus Dantiscũ causam non subesse aliã, quã voluntatem in eos propensam, qua & libertatem suam, modo vellent, non modo tueri, sed etiam augeri posse certo sibi persuaderent. Polonorum postremo ea ingenia esse semperq; fuisse, vt nihil indigni suo nomine & semine essent cõmissuri; modo etiam Gedanen. pro tot acceptis ab iis beneficiis grati, & non immemores ac intra septa officii sui cõtineri videant. His dictis Gedanen. publice constabat fides. Cæterum vt in magnis solet fieri conuentibus, hinc & inde oriebãtur vtrinque offensiones, & contentiones infinitæ; ex quib. quomodo Gedanen. animati essent,

& si quæ vis vehementior ingruisset, eam repellere vellent, facilis capiebatur coniectura. Nam vix decima quæq; domus milite erat vacua, & si quę armatorũ constituebantur præsidia, non vsquequaq; comitatui Regio tutus in eas receptus semper patebat; imo etiam aut iniuriis, aut ipsa adeo aperta vi repellebantur. Quod cum alias etiam sæpius, tum in Anzelmi Gostomski florentissimi aulicorum comitatu est deprehensum. Qui, vt erat splendidissimus, cum aliquando Comites Gorkanos à sua cœna reuertentes honoris ergo vlterius deduceret, incidit in Gedanen. stationem; à qua eius familiares indignius tractati, & vi & armis repulsi in hospitium suum se receperunt, & Gedanen. postea Paulouiciũ venientes, culpam apud Gostomium deprecati sunt, & in arce Cirnen. voluntariam detentionem aliquandiu pertulerũt. Quo etiam ipso dum Rex Gedani morabatur tempore, nisi Petrus Boratinski Petri Kmitæ Marschalci aulæ qui fuerat magister, præfectum custodiæ Gedanen. magno cum Polono-

rum sanguine furentē repreßisset, graue ea nox periculum citra dubitationem attulisset. Exiles enim fauillæ sæpe magnarum causa fiunt conflagrationum. Iam vero & præfectus stationis illius Gedanen. postridie eius diei ad Regem ipsum vocatus, ac cur in tantum furorem percitus fuisset interrogatus, intrepide respondit: Sibi stationis curam ita esse demandatam, vt si ipse insanientium vim sustinere non posset, campana signo dato in auxilium cunctos euocaret. Quod ne facere eum oporteret, adiisse se Petri Kmitę hospitium, vt sicuti magister Marschalci familiæ Polonos officii admonuisset; ne vrbs, tot contumeliis iniuriisque affecta, vim vi repellere necesse habuisset. Multa enim sunt molesta, sed domi vis & iniuria, quam patimur, molestißima. Hæc ille præfectus forte locutus, ad suos vicißim rediit, tantumque abest, vt vel aliqua in ipsum secuta fuerit animaduersio; vt etiam periculum maius, si Conuentus ille cito solutus non fuisset, quidam futurum suspicarentur. Necessarium est enim Re-

gibus

gibus inuiſere ſuos, ſed diſpiciēdum quos & quantos, quamque in comitatu tuo habueris bene moratos. Huic tamen vt dixi incommodo cum Tarnouius primum, ſua nō importuna cohortatione, remedii aliquid attuliſſet; tum & Rex quidem ipſe Regali ingenio animoq; præſenti, iure ciuitati dicundo magnā apud Gedanen. conſecutus eſt auctoritatē. Prægrauabat patrum plebem ambita pridem potentia, cumque magiſtratus poteſtatem cuperēt minores diminutum, Senatus priuilegiis quibus contra plebis inſolentiam muniebantur prolatis, victoriā obtinuiſſe videbatur, niſi & regia æquitas, & Senatorum quorundam acceſſiſſet auctoritas; vt ſicuti nauis æquatis oneribus, ſic Reſpub. ciuibus æqualitate quadam gaudentibus rectius regeretur. Nauis enim in alto, & ciuitatis ſtatu ſub magiſtratu poſito, magna fuerit ſemper ſimilitudo. Sub finem vero eius Regii Dantiſcum aduentus, Nicolaus Radiuilus Palatinus Vilnen. paulo ante in comitiis imperii Auguſtæ à Carolo V. Cæſare Dux creatus, & Ioan-

nes Tarnouius Castellani Cracouien. filius, secundo flumine, Gedanum quoque appulerunt. Est vrbs illa, nobilissimum totius Aquilonis emporium, aliquot externorum hominum semper repleta millibus, quæ tum ob nundinas, & ob Regium etiam in eam aduentum maxime refertissima mercatoribus, & omnis generis hominibus spectabatur; adeo vt & Rex, & eius omnes quingentas naues vna die simul Dantiscum appulisse admirarentur. Ac singulas quidem vnde veniret Rex interrogās, variisq; linguis nautas & classiarios loquentes audiens, magnam capiebant exinde voluptatem. Quo magis etiā ipse visendū & cognoscendum se præbuit multis spectaculis editis magna ingenii nominisq; sui gloria, & circumfusæ acclamatione turbę, quæ his similibusq; rebus potissimum delectatur. Atq; ita demū Gedanen. rebus compositis, suam vt maiestatem constanter colerent, & concessa tam à se, quam ab aliis Regib. libertate moderate vterentur cohortatus, ad dimidium Septembris Gedano mouit, & ab Alberto

Bran-

Brandeburgico in Prussia Duce semel & iterum officiose inuitatus Regiomontum discessit. Quem venerabundus senex longius extra vrbem progressus ita excepit, vt nullam non humanitatem tanto hospiti declaraturus alacriter videretur. Sed dum Rex vrbi Regiomantanę appropinquat, glob⁹ è tormẽtario in sublime proiectus, Visneuecio regio armigero ab ipsius tergo occiso, ita omnes exterruit, vt tantũ non arma à Polonis in Ducem verterentur. Subita enim mors socii dolorẽ; & serui casus in dominũ proditionis parit suspicionem. Quare cum suos Polonos Rex fremere, & contra Ducẽ nescio quid moliri velle animaduertisset, bono animo suos esse iussit, & iam inquit Foxii Astrologi euanuit vaticiniũ, qui hoc die me occidendum dixit, lætabundus exclamauit, Ducis etiam in tormentarium excandescentiam, qui eius nece errorem nõ suum fuisse testificari voluit, blando sermone refrenauit. Nefas nãq; in publico gaudio tristia est miscuisse. Quæ dum ita fiebant, superuenit nuntius, qui Nicolaum

Se-

Senauium Russiæ Palatinum Campestriũ copiarum Ducem, Dacos siue Valachos in suam venisse affirmabat potestatem. Quo non admodum exhilaratus Rex nuntio, num certus esset expectabat; verum cum tandem, eo qui tyrannice Valachiam rexerat interfecto, is qui in Senauii castris versabatur electum intellexisset, vtrum ea res gaudio an dolore dignior esset, aliquandiu perplexus secum stetit; & ne Turcam per id in se concitasset, subuereri non dubitauit. Atque ita demum more suo Vilnam rursus post paucos illos dies in viam se dedit. Quam perpetuo ita percoluit, vt vnam illam Vilnam, suam domum; cæteras vrbes, & ædificia quæcunque ierat, tanquam aliena haberet & appellaret. In qua etiam balnea, hortos, recessus, & nescio quæ non alia magno sumptu & diligentia ædificata reliquit, & per omnes occasiones, quibus à Polonia abesse licebat, libentius quam alibi habitauit. Quæ res quidem ipsa hic haud dubio Polonorum offendebat animos, vt quasi inuidia quadam cum Lithuanis cer-

tare viderentur. Nec tamen multum postea effluxerat temporis, ex quo Vilna mouens Lublini Comitia celebrauit, Moſcouitica legatione, quæ tum primum ad eum venerat clara, ſed Maiorum Polonorum abſentia, & cum minoribus, ceu quadã ea de re altercatione, tum & iudiciis non vſquequaq; recte exercitis odioſa. Nam non pleno Senatu multos infamia notatos, & in his fœminam quandam cædis falſo accuſatam quibuſdam Senatoribus auctorib9, qui poſtea eius impetrauerant bona, mulctatam memorant extitiſſe. Quæ quidem omnia Regi inuidiam, & quod in eandem illam rurſus ſe retuliſſet Lithuaniam, odium vulgo conciliabant. Nam ex eo tempore, cum Vilnam ceu in voluptatum quandam ſuam iuiſſet officinam, de eo rurſus coniugio colligando ceperunt proceres cogitare. Nullum enim maius iuuentuti compedibus iniiciendis, quam fuerit frenum ſtatus ipſe coniugalis. Non deerant autem pares diuerſarum familiarum ad id quoque fœminæ, ſed vna illa Auſtriaca domus maxi-

me probabatur. Cuius rei gratia nec illud etiam obfuit, quod duarum ſororum Germanarũ cõnubium, non vſquequaq; vulgo laudatum, aut etiam diuinis humanisque legibus admodum fuerat approbatum. Sed priuatorum hominum coniugia ciuilem ſocietatem, Regum vero propoſitam ſibi habent publicam tranquillitatem. Quo magis Iulio eius nominis III. Pont. Max. ratum gratumq; illud matrimoniũ habente, qui illud diſpenſandũ potius quam proſperandum aiebat, Catherina Auſtriaca altera Ferdinandi filia, Guilhelmi Gonzagæ Ducis Mantuæ relicta vidua, à Ferdinando Archiduce eius fratre Cracouiam eſt deportata, decẽnio fere poſt Elizabetæ nuptias, & anno cuius proximus peſte & caritate annonæ fuerat luctuoſiſſimus memoratu. Qui antequam adueniſſent, & contractus matrimoniales coaluiſſent, Nicolaꝰ Radiuilus Palatinus Vilnen. Gracium ad Regem Romanorum Ferdinandum in legatione fuerat miſſus, qui tũ ibi cum affinibꝰ filiis, filiabusque omnibus forte fortuna ver-

saba-

ſabatur. Quæ quidem legatio tantam inuidiam conflauerat Radiuilo, vt niſi Ioannes Przerembski Regni Procancellarius adiunctus ipſi fuiſſet, varias ſuſpiciones toto Regno peperiſſet: cum aliqui ſecreta quædam pacta inter Regem & Auſtriacos de regni ſucceſſione ſeri, plures tamen partim Radiuili odio, partim vanitate dici illa reerentur. Vtcunque certe fuerat, Rex quidem magna pompa peractis nuptiis, quibus Regina Bona, & eius filia cum filio intererat Hungariæ Izabella, retulit ſe rurſus in Lithuaniam, & litium controuerſias Cniſchini in Podlachia aliquandiu iudicauit. Erat autem earum prima, & maxima Beatæ Coſceleciæ, cum quodã Ioanne Schengusko ex clariſſima Iagellonum familia orto. Qui cum à Rege ob raptum eius filię proſcriptus eſſet, deſperata ſalute ad Ioãnis Comitis Tarnouii Raudnicen. arcem in Bohemiam fugiebat; & ita quidem fugiebat, vt nec ſibi, nec puellæ equo impoſitæ parcere, & infinita ex eius connubio fortunarum facultatumq; bona ſperare

videre-

videretur. Quem fugientem Martinus Zborouius, tum Palatinus Callisien. postremo vero Castellanus etiã Cracouien. factus, cum assecutus vna cum Martino filio Castellano Crziuinscen. fuisset, Plissæ tribus à Praga milliaribus grauibus affecit vulneribus, & Iarmirium retraxit semiuiuum, in spem certissimi matrimonii puella sibi seruata. Sed Lucas à Gorka Comes, cum Stanislao Coscelecio Palatino Siradien. & Beata Coscelecia matre superueniẽs, eam rursus Zborouiis eripuit, & Deus Opt. Max. omnes monedula illa vt vocant tandem priuauit. Nam cum Gorkanus ex quodam matrimonii contractu, Varsauiæ auctore Rege, ipsam deberi sibi æstimasset, non diu nec omnibus lætatus est ipsius bonis, nec Zborouiis præda cessit adeo felix, vt inuito Deo se aliquid adeptos possent adeo gloriari: vt taceam, quod iis in Bohemiam irruentibus, de iniuriis à Polonis Regno suo illatis Ferdinandus grauiter questus, & Zborouius Iarmirii Siengusko Duci epitaphio contra eum tanquam occisorem

pro-

probroſo poſito nō minus fuerit notatus. Ita nimirū cum non eū quem expediuiſſet matrimonii finē proponūt ſibi homines, nec illū alterum quoq; quē ſequunt' aſſequūtur. Turbata autē tum tēporis in Polonia erant omnia, & Regina Bona Regis mater, quæ pene per quadraginta annos in Polonia cōſenuerat, filio & filiab⁹ relictis, curandę in ſpeciem valetudinis ergo, in Italiam volebat proficiſci. Quæ res Regis, & ordinū animos vehementer perturbauerat, cum quot, & quantos, ac quibus artibus quæſitos theſauros ſecum aſportatura, & quam cum exigua Regis regnique dignitate, in illo augulo Italiæ nomen Regale ſuſtentata eſſet, veluti in ſpeculo intuerentur. Prudentū enim non tam corporis, quam animi oculi, nullis aduocatis adhibitis, exacte & minutatim omnia, & à longe contemplantur. Auctores quidem iſtius Reginæ conſilii, quod illa excuſatione valetudinis tuebatur, Laurentius Papagoda Franciſci filius, & Camillus Bracantius ex nobili Neapolitanorum familia potiſſimi diceban-

tur, qui ipſam Proregis Neapolitani munus obituram, & in ſumma dignitate Reginam quodam modo victuram pollicebantur. Quibus cum vel antea quoque Rex eſſet iratior, tum vero hoc conſilio audito, quoquo modo ipſorum molitiones voluit impedire. Ac primum quidem per Izabellam Reginam Hungariæ, ne id faceret, perſuadere matri ſtuduit. Demum cum hoc non ſucceſſiſſet, ad terrorem in publico foro patibulum erigi iuſſit, & voce præconis omnibus mortem, qui Reginam comitarētur, interminauit. Sed vt omnia, quæ ſemel cœpimus, magis ſemper indieſque cupimus, Regina ſtomachabunda Antonium Tercianum nobilem Tarentinū Iuriſconſultum ſuū ad Regē mox ſubmiſit, quid ſibi vellet, ꝙ ſalutis cauſa filius matri diſceſſum prohiberet, ſciſcitatum, eo addito, vt ſi in Sena tu Rex conſediſſet, & ipſum quoq; ſedere non pateretur, ipſe ſibi locum caperet, & caput denique cooperiret; ſed ſtantem tū forte Tercianus offenderat, à quo inter matrē & filiū preſentes, non expedire Le-

gatos mitti, reſponſum tulit; & illa nihilominus abitum in Italiam ſuum dies noctesq;, variis artibus & molitionibus, vel inuito ipſo Rege & Senatu, procurauit. Incidit autem ille tam memorabilis Reginæ ex regno diſceſſus in annū, qui fuit annus ſalutis poſt ſeſquimilleſimū ſextus & quinquageſimus. Quo eodē & Zophia Regia ſoror, Bonæ Reginæ filia, Henrico Brunſuicē. Duci Wolffenbitlū eſt deportata, quæ illis ipſis dieb⁹ Varſauia mouēs, cum aliis duabus ſororibus gementibus & flentibus, matri in longinquas oras abeunti valedixit. Quæ quidem Bona cum tam aſſiduis precibus, quam etiam minis & obiurgationibus à filio facultatem abeundi impetrare non potuiſſet, ſubito ad largitiones conuerſa, Regis & procerū animos ſenſim ſine ſenſu expugnauit; interponente pro ea inprimis ſe Stanislao Tencinio Cracouien. Palatino, & Ioanne Oceſſio regni Cācellario, qui principem gratiæ locum apud Regē obtinebat. Plurimum autē momenti attulit, quæ à matris partibus ſtabat, Iza-

bella Regina Hungariæ, lapillo quodam magni precii paruo ære initio emptum Regi noctu à matre dono allato, & nunc huic, nunc illi Senatori magno item ære distributo. Obolus enim populum, populus dat Regibus mundum, scienter non oscitanter comparatum. Frustra autem renitebantur alii harum rerum largitionumque ignari: quibus ne obnoxius esse, aut culpam aliquam retulisse Tarnouius Comes videretur, decem aureorum millia, à Regina Bona sibi mutuo longe ante data, mature ei remisit, & nihil postea iracundiam ipsius timuit, aut vero de senatoria sua dicendi libertate remisit vel tantillũ. Nam tanta quidẽ Reginæ in illa sus deq; concertatione verborum spectabat excandescendentia, vt cum Andreas Zebridouius Cracouien. Episcopus, vir prudens & maturus, ipsam ab illa obstinatione fuisset dehortatus, coram illi, quod Episcopatum ab ea emerat, obiicere non dubitauerit. Cui ille vicissim, quod venalis propositus ab ea fuerat, statim respondit. Notare quippe qui aliquem voluerit, in

notam ignominiæ sæpe ipse incurrit. Ab hoc Reginæ in Italiam discessu, quæ Viennam primum, postea Venetias, ac demum triremnibus Venetis, Barum vsq; delata fuerat, Rex rursus in Lithuaniam pro veteri suo more est reuersus, pœnitẽtia facti non obscura ductus, quod tot tãtosq; thesauros è regno suo cum matre emisisset; vnde etiam ad Ferdinandum Regem, vt eam detinuisset, sed frustra, scripsisse ferebatur. Nec diu in Lithuania stetit, ex quo rursus in Poloniam rediens Conuentum Varsauiæ habuit, & de bello Liuonibus inferendo cum ordinibus cõsultauit. Occiderant ij contra omne ius gentium, consuetudinemq; maiorum, Gasparum quendam Lackiaulæ ipsius familiarem, & quasdam inter se turbas dare iam inceperant; cũ magister Theutonici ordinis Iodocus Firstembergius, Guilhelmum Marchionem Brandeburgicum Rigen. Archiepiscopum consanguineum Regium, ex veteri quondam æmulatione acrius infestaret & mancipa ret. In hos inuidia inter se æstuantes, &

barbarico quodam fastu tumentes, tanto quidem alacrius ab ordinib. bellũ est decretũ, quãto magis sibi ipsi præfidere, & in necis illius auctores minus animaduertere videbant voluisse. Supplicib. enim parcitur, turgidus & impotẽs animus (vt plerũq; fit) vi & armis tandẽ coercetur. Bello autem in comitiis contra Liuonien. decreto, Nicolaus Mielecius Palatinus Podoliæ, viuente videnteq; adhuc Comite Tarnouio, q sororinus eius fuerat, sumæ rei est præfectus; & anno reparatę salutis post sesquimillesimũ septimo & quinquagesimo, non modo belli Dux, sed Rex etiam ipse florentissimum exercitum duxit ipse in expeditionem. Primum autem ad Onixtum oppidum, postea ad Pozuolum castris metatis hosti omnibusq; spectandum se præbuit, & interponente se pro eo Romanorum Rege Magistro Crucigerorum Liuoniæ Firstenbergio, qui in castra regia venerat, certis conditionibus interpositis, pacem concedere non dubitauit; ne quod impar viribus existens supplex pacem Liuo petierat, ab aliis prouincia

Liuonia, cui quoq; iam inhiabat Moſchus, vaſtaretur. Inſequenti namq; anno idem ſe quoque in Liuones facere poſſe ratus, Ioannes Baſilides Moſchorũ Princeps eorum Prouinciã bello eſt aggreſſus. Quod forte Sigiſmundus Auguſtus nõ tam cito futurum ſuſpicatus, ſimul ac Vilnã ex bello redierat, iucunditati ſe dedit, & Sigiſmundi Volſcii cum Hlebouicia celebratis nuptiis, Breſtã primũ ad alteras Trzebochouii nuptias, poſtremo vero Craſnoſtauum ad litiũ controuerſias diiudicandas tandẽ peruenit. Mirum dictu eſt quãta ſenatorũ & equitum confluxerat eo copia, & quantam Sigiſmundus Auguſtus in Cirnen. præfectura, quã Regina Bona ipſi ademerat, contra Stanislaum Leſnouolſcium Felici Paridi poſt Caſtellano Varſauien. vt promiſerat, reſtituenda, declarauerit firmitatẽ. Nam Regina Baro vſq; non dubitauerat Ocieſsio ſcribere, ne illi prefectura vllo vel aliquo pacto à Rege reſtitueretur. Tanta proſequẽdis iniuriis fœminarũ tenacitas eſt mẽtis, reb. etiã intercapedine tẽporum locorũq; conſepul-

tis. Sub quod idem tempus Æmilius Maluecius, vir præcipuæ nobilitatis Bononien. Crasnostauũ quoque ad Regem venerat, & splendide ac honorifice vbiq; à Polonis, in quos mirifice propẽdebat, habitus, à Rege quoque dona retulit amplissima, vltra nõ modicam ab eodem pẽsionem assignatam sibi etiam annuatim. Patere enim Regia æraria hospitibus debent pręclare de iis merentibus, & Principes non dare, sed videntur in bonis beneficia fœnerari. Crasnostauo, vbi Stanislaus Karnkouius libellorum Regiorum magister, quod nõ modo iuris sed & iustitiæ consultus habebatur, factus, finita iam messe itum est Varsauiam, ex qua ob Reginæ Catharinæ non satis prosperam valetudinem Cracouiam vsque, relictis impedimentis omnibus, Rex excurrit. Initio vero anni insequentis, qui fuit à nato Christo supra mille quingentos nonus & quinquagesimus, magno hominum concursu & frequentia, generalia totius regni comitia Petricouiæ celebrauit. Auebant tum homines de Interregno eiusq;

reme-

remediis ab ordinibus aliquid constitui, & modum futuræ Regiæ præscribi electionis; cum post tertium Sigismundi Augusti connubium de prole ipsius iam quodammodo vulgo videbatur desperatum. Iterare enim coniugia, & nullam procreare sobolem, argumentum futuræ est sterilitatis. Quæ cum in multis terribilis, tum in Regibus est terribilissima, quibus filii non tam ad eorum voluptatem, quam ad populi necessitatem generantur. Sumere quippe quam eligere potius Reges, semper tutius est æstimatum. Itaque & Rex quidem ipse, cui Calendis Augusti nato, eadem illa die Astrologus quidã Cracouien. cœli figura erecta, prouinciam regni eum adiuncturum, sed nullos liberos relicturum, forte prædixerat, ea tam periculosa de re aliquid voluit etiam commentari. Proximo enim incendio restinguendo imi & supremi æque concurrunt. Sed ea in lucem cõspectumque prolata, cum non vsquequaque vulgo probata fuissent, auctis etiam suspicionibus, in cassum omnia abierunt. Iam in-

terim mortua fuerat Regina Bona, non peræque in omnes, vt antea diximus, beneanimata, quæ cum eodem illo anno, nec scio si non & mense, ex Polonia, quo Carolus V. Cæsar exierat ex Belgio; eodem rursus anno vix integro post biennio desiit esse in viuis, nihil hæreditatis relinquens liberis. Quod Laurentius Papagoda, cum denuo in Poloniam volebat redire, venenum ipsi propinasset, & suppositio cōdito testamento Ducatū Barensem ab Rege eius filio abalienasset. Quæ res quomodo acciderit, ad memoriam posteri temporis, breuibus exponemus; vt per quæ quis antea peccauerat, justo Dei iudicio postremo agnoscatur castigatus. Inciderat illa principio in tenuem admodum febriculam. & paulo ante Sigismundus Fanellus Italus, culinę Regis Sigismundi Augusti magister, Barum ab ipso ad eam venerat officii causa visitatum. Sed per viginti fere quibus decubuerat dies, inualescēte paulatim morbo, cum non ex obscuris quibusdam sermonibus si conualuisset redire eam in Polo-

niam

niam velle coniectaretur, corrupto pecunia Medico Ioanne Antonio Materacen. potionem medicam veneno infectam ipsi propinari curauit, & simul cũ Regina Medicum quoque intoxiuit. Qui cum medicinam ipsi attulisset, vt & ipse prægustaret voluit, atque adeo cum tergiuersaretur, vt dimidium eius integrum ebibisset, identidem postulauit. Quod cum Laurentius Papagoda, qui astabat, animaduertisset, proripientem se Medicum in penetralibus detinuit, nec prius exire quã virus præoccuparet præcordia tãdem permisit. Quo & factum, vt Medicus exiens ad circumstantes amicos non nisi octiduo se superuicturum, Reginam vero vix triduum superaturam affirmauerit. Quod ipsum scelus scelere vt Papagoda cumulasset, per quendam Paulum Franciscanum Reginæ confessarium, vt testamentũ conderet, præstitit, se impulsorem; non eo quidem animo vt testamẽtum valuisset, sed vt ipse quoq; ea occasione contrarium ipsi opponeret, & omnem hæreditatẽ ac Reginæ thesauros,

in Regem Hispaniarum, ac in se ipsum transferret. Erat earum rerum omnium conscia Marina quædam dicta Monialis, quæ à pueritia sua apud Reginam consenuerat, omnib. fallaciis fraudibusq; erudita; quæ, cum iam animam ageret hera, & dum testamentum illud suppositițium omnibus audientibus legeretur, manu ad caput eius admota, quasi assensum prȩstaret illud inclinabat, & quod Catapanus publicus Notarius ex mandato Reginæ rite cōfecerat, irritū inaneq; auctore vero Papagoda exaratum validum reddere cōtendebat. Quibus artibus Sigismundus Augustus Rex elusus, non prius quā abalienatione illa Reginæ à se testamento facta, rem quomodo se habuisset intellexit. Papagoda interim ad Ferdinandū Albæ Ducem Proregem Neapolis, & ad ipsum Philippum Hispaniarum Regem in Belgium profectus, quomodo illud suum testamentum falsum ratum & probatum apud eū effecisset, nullis parcendo sumptibus, dies noctesq; procurauit. Magnū quippe æs magnæ requirunt molitiones.

Atque hunc demum exitum tulit Reginæ Bonę procul à ſuo regno & liberis longinqua & ſenilis profectio, quam ſtatim à morte mariti, maximis quibusque Principibus apud filium pro ea ſe interponentibus, valetudinem cauſata, inconſiderate meditabatur. Omnia enim quę inceperis, non tam qua, ſed quo & quomodo terminaueris, ad certam rationis normam ſunt ponderanda. De cuius morte, quæ in annum ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptimum & quinquageſimum inciderat, quanquã vel antea quoque Rex Auguſtus ſciuerat, non prius tamen quam nono & quinquageſimo in Comitiis Petricouiæ exequias ipſius celebrauit. Quo eodem etiam tempore Carolo V. Cæſari in Hiſpaniis extincto ibidẽ eſt parentatum. Vt enim in vnum eundemque annum diſceſſus, ſic in eundem etiam fere incidit & obitus Reginæ ac Imperatoris. Sed dimiſſæ fuerant interim variæ à Rege ac multiplices hinc inde legationes. Ac primus quidẽ ille Albertus Kriſcius ſpectabatur, qui & ante in Angliam

ad Regem Hispaniarum in Belgium est ablegatus. Cui vt primum Regis alloquẽdi facultas est data, petere ille Baren. hæreditatem sui Regis nomine non dubitanter voluit, & cum à Philippo Regenum beneficio Regio adire eum vellet, an vero ex testamento repeteret vicissim interrogaretur? Se nihil cõtra dignitatem sui Regis facere posse vel debere, sed quod ius & iustitia esset, postulare respondere non dubitauit. Cui Rex leuiter pectore tacto in penetralia Palatii se intulit & subiunxit: Bene habet inquit. Eatis Neapolim ea de re litigatum. Qua in re si Legatus deliquerit, non meum, sed aliorum, & maxime posteritatis, esto iudiciũ, minus fortasse odio aut gratia vitiatum. Post hanc quidem legationem in varias orbis partes non multæ, sed propemodum dimissę sunt aliæ etiam infinitæ. Nam non solum Ioannes Vissocius Abbas Landen. Romam, Ioannes Volscius in Hispanicam aulam, Konarski pòst Episcopus Posnanien. Neapolim, sed ipse etiam Ioannes Przerembski, Archie-

piſcopus Gneſnen. & primus Regni ac Senatus Princeps, Viennam ad Ferdinandum Romanorum iam Cæſarem, qui arbiter eſſe debuerat, maximo & ſplendidiſſimo profectus eſt cum comitatu. Sed antequam adhuc iſta fuiſſent, idem ille Ioãnes Przerembius, Archiepiſcopus Gneſnen. tum primum factus, in Comitiis Petricouię Philippo Padneuio Procancellariatus reſignato munere, Comitia illa, quæ ab anni principio in quadragenarium ieiunium fuerant protracta, terminauit. Ex quibus Sigiſmundus Auguſtus Rex Cracouiam profectus, cum extremis illis ante Paſcha diebus aduenisſet, de Philippi Padneuii Procancellarii regni graui quodam infortunio haud libenter intellexit. Comitabantur hunc ex arce à Rege redeuntem, vt fit, quamplurimi, & inter bonos aliqui etiam latrunculi: quorum vnus audacior ob veſtes non ſordidas factus, cum torque aureo in menſa relicto, in penitoria ędium ſe inferentem Padneuium conſpexiſſet, illico torquem è menſa ſuſtulit, & quod ap-

penſum

pentum sigillum regni torqui fuerat ignarus, cum eo aufugit; & nocte intempesta Bochnam vsque properauit. Erat Padneuius eo tam repentino nec opinato casu vehementer perturbatus, nec cui culpam dare recte potuisset, facile apud se inueniebat. Rex etiam ipse à Nicolao Trzebochouio præcipuo Cameræ suo præfecto certior ea de re factus, stabat initio attonitus, & quædam hac in parte exempla ad atrocitatem facti exaggerandam memorabat vetustatis; sed tergo ad focum, apud quem se tum calefaciebat, verso, vtique non defore artifices Cracouiæ, qui huic non absimile sigillum conficerent, tandem respondit. Quæ dum ita sus deq; agitabantur, & dum tota Cracouia furto illo personaret, fur tandem Bochnæ à Crzikouio Vicezuppario inuentus, & primum quidem ad Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnen. tanquam herum suum veterẽ Cracouiam missus, postea ab hoc magno cum comitatu veniente contusus iam ille Regius in sigillo ales, Padneuio est restitutus. Nec mora de fure etiam

ipſo atrox ſumptum eſt ſupplicium, qui candēti ſigillo per compita prius excarnificatus, laqueo extra vrbem vitam finiuit; ac omnes illas friuolas de non nemine ſuſpiciones, facti vt ſe habebat narratione tranquillauit. Semper enim magiſtratibus inuidetur nouis, & factis inuidia & maledicentia eo etiam maior, cum inceperit, facile conflatur alienis. Rex interim per bimeſtre cū Cracouię cōmoratus, & ab Andrea Zebridouio Epiſcopo Cracouien. vno, atque item Ocieſsio Cancellario & vrbis præfecto altero, epulo honoratus ſplēdidiſſime fuiſſet, retulit ſe rurſus in Lithuaniam, vrbano magiſtratui & populo, apud quem poſtremo ante mortem viſendum ſe præbuerat, valedicens vniuerſo. Nec non & Ioanne Laſco decrepito ſene Hieronymi Laſcii fratre, tum temporis etiam illibenter viſo, qui ante triginta annos ad Henricum VIII. Anglorum Regem profectus ibique liberaliter habitus, poſt liminio, mutata licet religione, in patriam à Rege reuocatus reuertebatur; quem poſtea ad Albertum in

Pruſſia Ducem, apud quem erat gratioſus, placuit quoque ablegaſſe. Iam vero in Lithuaniam apparanti iter Gotthardus Kethlerus, ex Auguſtanis imperii Comitiis veniens, forte ſe obtulit hoſpitem, haud ita ingratum, quantumuis licet inſperatũ omnino. Quæſierat ille tam apud imperii ſtatus & ordines, quam etiam apud Daniæ Sueciæque Reges, & apud alios Principes contra Moſchum auxilia, & poſtremo à Rege etiã Poloniæ Sigiſmũdo Auguſto eadem venerat poſtulatum: neque tamen aliud reſponſi tulerat, quam vt Vilnam veniſſet, ac de omni re & defenſionis ſuæ modo & ratione cum Rege & Senatoribus illius Prouinciæ, quæ Liuoniæ contermina eſſet, conſultaſſet. Quam tamen Vilnam à feſto Pentecoſtes ſtatim Cracouia Rex diſcedens, non prius quam intra vnum menſem potuit attingere; lue peſtilenti, vbicunq; tranſibat, graſſante, & ſimul ac Vilnam veniſſet quieſcente: quod portenti neſcio cuius loco tum temporis habebatur. Præceſſerat & ipſe Palatinus Vilnen. Regẽ Vil-

nam

nam vſque tempeſtiue, ipſique cum numeroſiſſimo ſplendidiſſimoq; comitatu obuiam viciſſim factus, reuerenter & officioſe Regem ſalutauit: ac mox & ipſe Kethlerus, vt conſtitutum fuerat, cum non mediocri Crucigerorum, & aliarum familiarum comitatu, Vilnam etiam ad Regem tandem aduenit: vbi (vt in omnibus nouis & difficilibus rebus accidit) non parum temporis initio conſultationibus eſt extractum. Nam primis illis pactionum ceu fundamentis quibusdam iaciendis, modica admodum tanti belli contra Moſchum pro Liuonia ſuſcipiendi ratione Regi promittebant, & lautitia, quæ interim à Rege Kethlero & eius Comitatui affatim ſuppeditabantur, magno conſtabant; adeo vt aliquando eorum tergiuerſatione Rex offenſus Varſauitio harum rerum ſcriptori, Secretario ſuo, cui ob Germanicæ linguæ cognitionem cum Liuonibus tractandi demandata fuerat prouincia, aperte diceret; Viderent quid facerent, omnem quidem illam moram &

culpam in caput eorum redundaturam. Iam quippe & Derpatum à Moscho captum, & multæ aliæ Liuonũ arces & munitiones fuerant interceptæ. Quæ res effecit, vt paulo maiori cura & celeritate pactiones illæ inirentur. Ac primum quidem Kethlerus debitam subiectionem Regi præstaret. Deinde vt non amplius Teuthonici ordinis Crucigerorum in Liuonia magister; sed feudalis Curlandiæ & Semigalliæ Dux assignatis ipsi possessionibus amplis; re & nomine haberetur. Ex aduersus Sigismundus Augustus Poloniæ Rex apud ordines efficeret imperii, ne Kethlero & Crucigeris fraudi ea res fieret, quam extrema adacti vi & necessitate in defensione sui coacti commisissent, idemque conscientiarum vt vocant iis permitteret libertatem. Iam enim tota Liuonia facta tum fuerat Lutherana, & illa grauis bellorum non prius eam infestauit calamitas, quam à Religione desciuerat Catholica, fido præsidio domesticæ & externæ tranquillitatis. His igitur veluti primis pactio-

num

num vt dixi fundamentis iactis, solenne & publicum epulum Vilnæ Kethlero & Crucigeris à Rege est exhibitum, demum & alia etiam pacta accesserunt quamplurima, quæ pro variis rerum & temporum occasionibus à diuersis oportuit variis modis & dimissis legationibus tandem firmari. Ac primus quidem Nicolaus Radiuilus Palatinus Vilnen. & Romani imperii Princeps factus, in sequenti anno Regium Legatum cum summa amplitudine agens, & splendidissimo numerosissimoque cum Comitatu Rigam veniens, auctor Liuonibus extitit, vt & Archiepiscopus Rigen. qui vnus ex Brandeburgica familia fuerat, & ipse Liuoniæ magister Regem Sigismundum Augustum Vilnæ inuisissent: fore vt de omnib⁹ facilius transigerent, & coram quam per internuncios aut etiam literas commodius ista tractarent. Qui enim effectum aliquid cupit, ipse veniat necesse est; qui secus, per alios id fieri, licet non semper bene, tractari patiatur. Venit ergo vt promise-

rat Vilnam ad Regem Archiepiſcopus, cuius erat conſanguineus, Anni poſt mille quingentos ſexageſimi primi ipſo principio, cum iam non modo Moſchus, ſed ipſe Ericus Rex Suecus infeſtare Liuones cœperant, & ad quaſuis à Rege Poloniæ acceptandas conditiones extimulabant. Habebat is duos alios fratres, Ioannem & Carolum, in quos non æque ſemper beneuolo propendebat animo, vt erat vario & multiplici præditus ipſe ingenio, nec omnium optimos habebat perpetuo conſultores. Quo erat factum, vt Ioannes maior natu Erici frater Finlandiæ Dux, Vilnam ipſe ad Regem veniens, Catharinam Regis ſororem in matrimonium ſibi dari poſtularet. Erat is Goſtaui quondam Suecorum Regis filius, præclare indolis & expectationis Princeps, qui aditis etiam exteris nationibus ita ingenium excoluerat, vt præter aliquod linguas alias Latine expeditiſſime loqueretur. De his nuptiis, cum Senatores eorumque ſententias forte Rex exquireret, inter

alios Padneuius dotale regnum quæri, ſed tamen non improbandum connubium teſtabatur. Cui etiam Rex ipſe, ſorore prius interrogata, aſſenſus eſt, ſuadente primum Nicolao Radiuilo potiſſimæ tum apud Regem auctoritatis, ſed mox eodem illo diſſuadente, ne in arcem Rigen. in Finlandiam proficiſcens intromitteretur. Magnæ enim latebræ & receſſus animis ſunt Principum, etiam coniunctiſſimorum; & in eorum nuptiis plena quidem omnia ſplendoris, ſed non vſquequaque expertia ſemper ſunt angoris & ſuſpitionis. Nam nec tam quidem cito in Finlandiam Ioannes Dux venerat, vt eum Ericus frater detineri ſtatim fecerat; quod apud Regem inimicum, quo cum ille de Liuonia certaret, affinitatem quæſiuiſſet. A quo Catharina coniunx, raro conſtantiæ exemplo, vt detentionis, imo carceris illius quotidie maior ſequeretur fœditas & diuturnitas, nec diuelli quidem aliquantulum potuit; & ſemel datam marito fidem cum magna ſanctimoniæ & firmitatis ſuæ

laude inuiolabiliter conſeruauit. Quam etiam poſtea Deus Opt. Max. feliciſſima prole auctam non modo cum marito in libertatem, ſed ad ipſam Regiam vindicauit libertatem; cum Ericus conſcientia ſcelerum, vltro ſe ipſe regno & gubernaculis abdicaſſet. Ob ſanctimoniam enim coniugum, calamitates maritis inuſtæ glorioſis ſucceſſibus (vt plerumq; fit) diuinitus penſantur. Porro per illud idem temp⁹ non vſquequaq; etiã omnia tuta & quieta erant in Polonia, ac paulo ante Albertus Laſcus, magni illius bellatoris Hieronymi Laſci Palatini Syradien. Palatinus & ipſe eiuſdem loci poſtremo factus, vnigena filius, ex Polonis, Hungaris, & Burgundis aliquibus, conniuente Ferdinando Cæſare & Hungariæ Bohemiæque Rege, Duce Antonio Antalo Hungaro, & Franciſco Roſſellio Burgundo, exercitum collegerat, quo per Sepuſium & Hungariã, (non audebat enim per Poloniam) ducendo, Deſpotã contra Alexandrum in Valachiæ conſtituere, vt & fecit, volebat principatu. Fictum erat illud De-

ſpotę nomen, & Ludimagiſter, qui paulo ante fuerat in Sicilia, vero cuidam Deſpoto in Caroli V. Cæſaris priuilegio furto ablato, Iacobum Heraclidem Baſilicum, Paros, Samos, & Doridos Principem & vtriuſque Myſiæ Dominum vulgo ſe venditabat. Reſiſtebat ei Laſci ſubditi ſui molitioni Sigiſmundus Auguſtus Rex vehementer, & tota Polonia vt olim patrem in Hungariam, ſic filium in Poloniam Turcas inducturum clamabatur. Qui nihilo remiſsior eo factus, quo magis illud conſilium ſuum Deſpotæ in Valachiam inducendi occultaſſet, Deſpotum ſimulato morbo aliquandiu decumbere, poſtea etiam tanquam mortuum ſolenni funebri pompa Keſmarci fecit efferri, Regio apud ſe internuntio, & Alexandri Valachię Palatini legato præſentibus, qui illum ab illa expeditione venerant dehortatum. Nec diu poſtea, occupata Laſci beneficio Deſpotes Valachia, paulo amplius biennio ea eſt lętatus: cumq; maxime potuiſſet, in eum non fuit ita gratus, vt quæ eius cauſa oppignorauerat bona, ſaltem à

creditoribus ipsius exemisset. Quippe nihil est periculosius, quam incertis sedibus & patribus cõmitere se suaque vagantibus, & proprias, alienis cupiditatibus vt seruias, oppignorasse facultates. A cuius quidem Despoti in Valachia nece quidam Valachi, qui in Poloniam ex Valachia fugerant, quod partim conscii, partim auctores eius necis dicebantur, ne ex pacto Turcico Cæsari contra dignitatem regni reddendi essent, gladio Leopoli iubente Rege sunt percussi, & opima spolia ex iis reportata. Nefas enim fuerit, quales quales tandem Christianos, Christi hostibus mactandos, domui reddidisse. Ab eo Valachiæ motu, cum superiorum temporum licentia noua quædam Polonos incesserat etiam religio, Nationale, quod vocant, Concilium ante Oecumenicum Tridentinum cogendum omnino quoq; videbatur. Itaque ineunte statim vere, sub finem quadragesimalis Ieiunii, Ioannes Przerembius Archiepiscopus Gnesnen. & Philippus Padneuius Cracouië. Episcopus, ma-

no cum comitatu diuersis ex partib. Varsauiam venientes, quorũ numerum senatores etiam quidã & inter hos Cancellarius Ociescius forte auxerant, feliciter inchoarunt, & legatos pro Concilio Tridẽtum mittendos regio cum scitu & auctoritate elegerunt, quorum vnus Herburtus Episcopus Przemmislien. & Falęcki Abbas Sulciouien. alter spectabãtur. Aderat & Stanislaus Orichouius, in hoc eodem conuentu ipso, tantopere à Catholicis, vt pristino suo more ad vnitatem Ecclesiæ rediisset, perpetuo desideratus. Qui quod errore seculi à recto tramite lapsus fuerat, publice omnib. audientib⁹ elegãti oratione, quę typis vulgata extat, palinodiam decantauit. Morabatur autẽ vt fere semper Sigismundus Augustus Rex in Lithuania, pręter quod hyberno quodã tẽpore Lomzã semel excurrerat, & Petrum Myscouium Secretarium maiorẽ factum, absentibus Cancellariis, quadrato sigillo præter morem vti permiserat: vnde mox reuersus tum exercitibus ex Lithuania in Liuoniam expediendis, tum

vero

vero præfectis idoneis toto suo regno disquirentis, occupabatur. Non minor enim in copiis, quam in copiarum ducibus, Principum eorumq; potentiæ consistit firmitudo. Sed vnus ille eminebat maxime, Florianus Zebrzydowski Castellanus Lublinen. & comitatus Aulici præfectus, libellorũq; supplicũ magister Regius; quod non modo iuris iustitiæq; consultus, sed etiam bellator egregius, & libertate Senatoria dicendi præstans haberetur. Hoc igitur Polonicorum exercituũ summo præfecto creato in Lithuania, vicissim ille Stanislaum Lesnouolscium Castellanum Cziechanouien. cum parte exercitus contra Moschorum, quæ maiores opinione fuerant, copias dimisit: & Stanislaum Zarnoscium tanquam veteranum turmarum, tam in Podolia, quam vel antea in Liuonia, præfectum ei adiunxit, cuius consilio pro re & tempore vteretur. Dimicatum igitur à nostris, nec infeliciter, longe minori copiarum numero cum Moschis est ad Neuelium, nauantibus egregiam suis operam, turmarum

præfectis aliquibus, in quibus hic idem Zamoſcius, Iacobus Secigniouius ex diſciplina militiæ Caroli V. Cæſaris profectus, qui totam armis tectam equitum habebat Turmam, Nicolaus Senauius, Ioannes Zborouius, Andreas Chinoffſcius, Ioannes Potocius, & alii complures fuiſſe memorantur. Euocabatur autem Rex ſæpius in Poloniã, & Iordanus Spitko Melſtinius, Sendomirien. Palatinus, ipſe nomine omnium in Lithuaniam profectus, vt ſe Regem Poloniæ eſſe meminiſſet, ſerio eum hortabatur. Quo & factum, vt ab hac victoria paulo poſt interiecto tempore, ad totius regni indicta Comitia Petricouiam diſcederet; & Ioannes Baſylides magnus Moſcouiæ Dux animoſior crudeliorque factus, & Aſtracaniis Caſaniiſque domitis elatus, de capienda Poloczko, caſtro Lithuaniæ munitiſſimo, protinus etiam cogitaret: & ad dimidium Februarii magna cum multitudine exercituum veniens, & incredibili tormentorum vi & numero oppugnans, cum eius loci Pa-

latino Douoina & frequentissima Nobilitate in suam redegit potestatem. Quo nuncio quinto à capta Polocia die, pro Comitiis Petricouiam allato, vt varii varie afficerentur, & quidam in gratiam Regis verbis vt fit detrimentum acceptum eleuarent; Rex quidem ipse, & saniorum non nemo vehementer indoluit, & Moschus non solum in Polonia, sed etiam in Germania & apud Anseaticas vrbes ipsas, qui ne classe extructa eas quoque aliquando lacesseret verebantur, tale nomen habuit, quale procul dubio formidolosum passim & vbique videbatur. Rex interim Sigismundus Augustus in quosdam Lithuanos reiiciebat culpam: qua etiam de causa Vilnam reuersus, Victorinum Mosten. praefectum quaestionibus subiectum, & paulo post capitis damnatum, proditorum more in quatuor partes dissecari iussit; & ad vnum poenam, metum ad multos & eos quidem etiam praecipuos propagauit. Quos ipse Victorinus, quod gaudiū est miseris socios poenarum habuisse, in

societa-

ſocietatem ſupplicii haud dubie ſortiri clam ſuggillando expetiuit: Sed expedit rebus, ſontibus non omnia credere, beneq; condita non mouere. Quo ſuorum ingrato erga ſe animo Rex nihil minus commotus, cum iam ingraueſcente ætate Zebridouius illa exercitus adminiſtratione ſe abdicarat, Stanislaum Cikouium poſtea Biecen. Caſtellanum factum, veteranum toti exercitui Polonico præfecit bellatorem. Qui ſtatim ad Smolenſcum, quod & incenderat, ducto exercitu ſe copiaſq; Polonicas mirifice nobilitauit. Nam Palatinus Smolenſciæ, pro capto in excurſione quadam filio, Smolenſciam ipſi dedere volebat; niſi interim filius à quodam gregario milite, qui eum non nouerat, occiſus ſubito extitiſſet. Erat tum in exercitu regio Ioannes Goraiſcius virtute & genere clarus, turmæ equitum prę̄fectus, qui quod in quodam lacu, glacie tum concreto, alios cōmilitones ſuos cupidus gloriæ anteuertens, ſex ex ſuis amiſerat, quod animo ſius quā conſultius in hoſtilem aciem

irrue-

irruerat, caussam dixit; & non modicum quidem initio inuidiç, at multum immortalis gloriæ inde tandem reportauit. Erant tum in exercitu tota Polonia præfecti Turmarum florentissimi, Stanislaus Comes Gorkanus, Nicolaus Melecius, hic Podoliæ, ille Posnaniæ Palatinus, duo Senauij vtrique postea Senatores, vt Ianusium Latalscium, & Ioannem Lesnouolscium postremo Cernen. Castellanũ, vt multos denique alios prætercam, quos enumerare omnes longum, & proculdubio etiam non fuerit necessarium. Nam in aliis quoque regnorum prouinciis, qui strenuam operam nauarent Reipub. passim reperiebantur: ac imprimis Michael Debinscius dictus Schoppa, nunc intercipiendis in Liuonia hostilibus arcibus, nunc diuersi nominis & seminis profligandis hostium aciebus, vel ipsorum inimicorum confessione maxime laudabatur. Nescit enim occultari virtus, & vel in mediis tenebris semper resplendet. Erant autem ea quæ præterierant Petricouien. comitia tum amissæ Polociæ clade, tum

noua quadam inchoata legum exequutione; nunc Episcopis iuris dicundi adēpta facultate, maxime odiosa & quodam modo etiam funesta: cum Episcopi ex Concilio flentes & gementes discederent, & veteri cuidam querimoniæ propter immensas Regum largitiones, de accisis vectigalibus regni ac continuis tributis, non modo ordines, sed homines omnes perpetuo inhærerent: quod tamē ipsum non tam Reipub. causa, quā priuati compendii & cupiditatis nescio cuius gratia, vt vni adempta cessissent alteri bona, videbatur introduci. Flagrabant autem inuidia aliqui regiis ditati facultatibus, & vnus ille Ioannes Ociessius, regni Cancellarius, quod is potissimum esset, qui regia bona multa haberet, & legū exequutioni obstaret, occultis quorundam sermonibus vulgo sugillabatur. Qui vt nobilitatem deliniuisset, adductis pro comitio paruulis secum filiis, priuilegiisque ac donationibus Regum publice prolatis, cultro quidem diplomata discidit, sed mox etiam pariter filiis infeli-

ciſſima quæque imprecatus eſt, ſi in fraudē Reipub. aliquid regiarum obtinuiſſent facultatum. Qui etiam ſtatim Petricouia Cracouiam veniens, diem ſuum obiit; magno bonorum deſiderio, qui talem Cancellarium haud ita cito futurum ominabantur. A morte namque Quis, Quantusue quiſque fuerit rectius æſtimatur. Rex interim ipſe, ſicuti erat magno ingenio & rerum vſu præſtans, vt magna & magnifica ſenatoribus viris debere ſe fateretur, occulte tamen municipalibus legatis quibus exagitarentur, & regia bona miſſa facerent ſuggerebat conſilia & municipalibus legatis à nocturnis ſecum congreſſibus, cum à partibus eius ſtabāt, eam referebat gratiam, vt & bonis Regalibus, & ſenatoriis muneribus poſtremo tandem potirentur. Sic orbis ille, qui omnium eſt eſſeq; debet incorruptibilis, diſtribuendarum in Repub. dignitatum, non tam publicis cōmodis promouēdis, quam ſuis amplificandis, ſæpe verſatur; & ordo ordini recto ac legitimo cōtrauenit. Verum non illa exequutionis legum vna,

ſed multæ etiam ac magnæ aliæ regiam mentem torquebant cogitationes: quo magis hac non tam perfecta, quam affecta re, de Lithuania item Poloniæ certo fœdere vnienda dies noctesque conſultabatur. Nondum quippe ab Vladislao Iagellone, initis inter has duas gentes & nationes pactis, fuerat ſatisfactum. Qua etiam de cauſa anno à Petricouien. comitiis, aut paulo plus mox exacto, vnionis ergo, alia indixit Varſauię Rex comitia, nouo in iis poſt Nicolai Melecii Palatini Podolien. obitum, Ioanne Fierleio Palatinatui Lublinen. vltro cedenti; Marſchalco regni creato, memoranda; qui Patris & Aui primorum ſenatorum regni, ſuiſque præſtantibus meritis, cum ſumma auctoritate munus illud tuiturus, vt & fecit, ab omnibus credebatur. Reuerentur enim homines, tũ virtute propria, tum & maiorum imaginibus commendatum libentius magiſtratum: tum vero vel maxime id videas, quo maior virorum præſtantiũ incidit in regnis penuria; qualis biennio ante mortuus Ioannes Comes erat Tar-

nouius, non modo in patria, sed etiam extra patriam magni nominis Lusitaniæ Regis Imperator. Ardebat autem Lithuania Liuoniaq́; pariter bello quodam modo perpetuo; sic vt pro iis Varsauien. comitiis, ægre Lithuaniæ proceres venire posse diceretur, capto præsertim interea temporis Christophoro Megapolen. Duce; qui quod Archiepiscopatum Rigen. regia gratia fuerat adeptus, nec satis beneficii extiterat gratus, ac deniq; cũ Erico Sueciæ Rege quarundam conspirationũ contra Regem accusatus, arce Dalen. deditione facta in regiorum peruenerat potestatem, militante sub vexillis regiis tum etiã Ernesto Veiero, strenuo, & experiente bellatore, qui non parum momenti summæ rei & belli ipsius administrationi procul dubio etiam afferebat. Cuius quidem Megapolen. Ducis casum, Stanislai Vassouicii præfecti militum & aulici regii, ab eo in mensa pugione confossi, indignissima mors adeo etiam prægrauabat; ita vt paulo post in Castro Rauen. sexennio detentus, nõ nisi extremis illis Lubli-

nen. comitiis, in quibus cum Lithuania inita sunt pacta, fuerit cum maxima difficultate liberatus. Callida namq; consilia ipsimet tandem nocentiora redduntur auctori. At vero præstituto Comitiorum Varsauiæ die, frequentissimi quidem Poloni, ex Lithuanis non nisi Nicolaus Radiuilus Vilnen. Palatinus, cum fratris filio & paucis aliis publico nomine venit. Veste is lõga & lugubri à morte suæ coniugis, & amplissimo comitatu, planeq; regio omnis generis vt semper apparatu vtebatur: & partim natura, partim etiam studio ea ornamenta habuerat, plane vt admirabilis multitudini videretur; ab eademq; ob faciem barbamq; nigram, & exquisitum vestium epularumq; nitorẽ, & magnificentiam, quam in aula Caroli V. Cæsaris didicerat, Hispanus dicebatur. Hic igitur in conspectum prodiens regium, meditata oratione de hoc negotio vnionis habita, ita Regem eiusq; commouit animũ, lachrymas vt ipsi excutere & quibusdam Polonis, qui facundiam & principatum linguæ Polonicæ sibi

vendicauerant, in admirationem sui rapere quodammodo videretur. Nec mora, Ioannes Megapolen. ipse re & nomine Dux, capti Christophori frater maior natu germanus, cum superuenit; qui non tam fratris libertatem, quanquam & hanc in speciem quidem, quam ipsum Archiepiscopatum Rigen. à Sigismundo Augusto Rege, irē pro Sigismundo Augusto suo filio, enixe postulabat. Quē & obtenturus credebatur omnino, si vt promiserat legatum ad Regem suum Bielscum misisset, & bona peræque fide cum Rege omnia transegisset. Expirante quidem Comitiorum tempore, cum & ipse nescio quarū molitionum rursus insimularetur, & legatum non mitteret, spe sua frustratus est: & Rex vniis Varsauiæ peractis, ineunte vere primum Bielscii, mox & in Augusto Parczouiæ alia Comitia vnionis ergo celebrauit. Sed Bielsci primum fulmine arx tacta, demum etiam Imbraimi Straschi Polonici, Turcici aulici & legati aduentus nonnulla perturbauerat. Parcouiam vero quo minus Lithuani venis-

ſent, tempeſtatem patriæ ſunt cauſati, in quibus tamen comitiis ordinũ conſenſu æris alieni in bona regia inferendi tercentorum primum millium, paulo poſt in aliis comitiis ducentorum ſummam Rex conſecutus eſt poteſtatem. Allatus vero interim in hunc eundem conuentum de Ferdinandi Cæſaris obitu eſt nuncius, qui, ſicuti ipſe prædixerat, die D. Iacobo ſacro, ſuo Hiſpanorum tutelari patrono Viennæ, paulo ſexagenario ſenior mortem cum vita commutauit. Princeps religionis & tuendæ ac amplificandæ Eccleſiæ ſtudio incomparabilis: qui primus, Stanislao Hoſio Pii IIII. apud ſe legato auctore, Ieſuitas in Germaniam acciuit, & Hoſius viciſſim eodem quo ille mortuus eſt anno Bransbergæ eorum collegium ad Chriſti gloriam, & ingentem iuuentutis vtilitatem primum in Polonia feliciter inſtaurauit. Mouebant autem admiratione᷑ Regi, Maximiliani Secundi Cæſaris ad ſe datæ literæ, quibus Romanorũ ſe ſtatim nuncuparat nondum inauguratus Imperatorem; ignarus quod omnes

consortes Imperii à morte Cæsarum Cæsares mox appellentur. Tuta enim suspiciosi timent, & non ex omnium optima conscientia, vel friuolis suspicionibus sæpe indulgent. Iam ille tum remittere in Austriam cogitabat suam coniugẽ. Quæ ipsa res partim metus, partim etiam causa fuit suspicionis. A Parcouien. porro Comitiis in Lithuaniam se recipiens, nunc Vilnę, nunc Grodnæ diuersos habuit cõuentus, & diuersis subinde ac sibi aduersis vel nonnunquam proceribus, concedebat magistratus. Nam Kethlero amoto, gubernationem Liuoniæ dederat rursus Ioanni Chodkieuicio, cuius familia Radiuilanæ quodam modo contraibat. Potentibus enim frenandis, potentes plerumque iis opponuntur. Quanquam tantum quidem abfuerat, vt per id Radiuilonum debilitaretur potentia, quod etiam Nicolai Radiuili Palatini Vilnen. formidabilis euaserat iam industria, qui impediendis regiis in negotio vnionis conatibus, nunc hæc, nunc illa contra Regem tentare dicebatur. Sed expertem esse

omnis proditionis mors tandem necopinata ſuperueniens, facile declarauit. Frater etiam ipſius patruelis, Nicolaus item dictus Radiuilus, quem ad differentiam Nigri alterius vulpem Rex dicebat, eam conſecutus fuerat auctoritatem, vt cõmunis tuendæ acerrimi ſpectarentur defenſores dignitatis. Qui arce Tauris multo ante expugnata, in Baraniis etiam campis innumerabiles Moſchorum copias ſub id tempus glorioſe profligarat. Chodkieuicius vero vt adminiſtratione Liuoniæ potiretur, non peræque bonam Regi & Reipub. nauarat operam, *Hula* munitione Moſchouitica irrito conatu, & accepta vel aliqua ſuorum clade, audacius quam prudentius media hyeme oppugnanda. Erat quidem is Lithuaniæ procerum fere præcipuus, in Caroli V. Cæſaris aula inde ab incunte ætate educatus, & cũ non vulgari doctrina, tum militari licet vario & vehementi ingenio, multis aliis antecellens: ab eius tamẽ gubernatione, ſiue ob immenſas quas faciebat donationes, ſiue ob Polonos Lithuanosque in

alienis domibus factos insolentiores, in peiorem statũ semper degenerare cœpit Liuonia, & hostes ipsius quotidie magis ac magis augeri. Nã Ericus Sueciæ Rex, q. mentis compos haud fuerat, exercitus identidem in Liuoniam mittere, & fratrẽ captiuum regium affinem nihil minus, quam ex carcere cogitabat liberare: in quem tanto odio & maleuolentia ferebatur, vt nobilissimas quoque toto suo regno matronas, vt maritum desereret, ad eius coniugem miserit ad persuadẽdum. Sed cũ illa quod Deus coniunxisset, hominem non separaturum respondisset; minas etiã addidit, Moscho, qui illã expeteret, dãdã, si ab obstinatione nõ resipuisset. Sic nobile caput hic & ibi immolandũ, pignoris loco debuit esse amicitiæ tyrannorum: contra quem cum Friderico Danorum Rege percutere fœdus, Francisco Russeccio Castellano Naclen. & Nicolao Grabouecio legatis ad eum dimissis, quibus etiã postea & ipse Cromerus, ac Demetrius Solikouius Leopoliẽ. Archiepiscopus, multis legationibus clarissimus,

adiun-

adiunctus fuerat, Sigiſmundus Auguſtus Rex pertentabat: ſed plus ſpei quã rei illa habebant conſilia, & bonis regiis imminutis, regia etiam negligebatur inter Liuones potentia, ipſomet Chodkieuicio auctore. Qui cũ Hulę oppugnatione hyeme tantata, Moſchum ſpiritu auxiſſet; nullum non mouebat lapidem, vt illam ſuſceptam maculam quoquo modo deleuiſſet. Ac ſubmiſit quidem gubernatorem Liuoniæ agens, Nicolaum Taluoz poſtea Caſtellanum Samagiciæ factum, certis cum copiis Reualiam verſus, qui non procul ab ipſa regiis eiusque auſpiciis Regis Sueciæ non contemnendum exercitum apud Vilnam Kerempeſch profligauit. Quo eodem fere aut modico ante tempore, illam eandem Hulam Romanus Siengusko clariſſimi generis & virtutis Dux etiam exuſſerat; & Chodkieuicii errorem magnopere emendarat: fuſis præſertim nobiliſſimis Moſchi Seremeto, & Srebrni Ducibus, quibus ille Tyrannus vix habebat præſtantiores. Militabant autem cum Siengusko

præcla-

præclari quiq; nobiles, & inter alios Georgius Drucki Sokolinski adhuc adolescentulus, sed magnæ expectationis spectabat. Quib9 ad eum modũ in Lithuania gestis, anno à nato Christo supra mille & quingentesimum sexto & sexagesimo, Lublini Rex indixit à Grodnen. Conuentu comitia; quo eodem in Solimannum Turcarũ tyrannum Maximilianus Cæsar florentissimum duxerat ad Iaurinum exercitum ipse quoque in expeditionem. Sed secreto iam ille prius apud Pont. Max. & Cæsarem, cum Catharina coniuge sua sorore Cæsaris egerat, frustra tamen, de diuortio. Itaque aperte communicato cum senatorib. consilio, quædam non satis probata, ac nec optabilia quidem causatus, dimittere eam ex regno velle se palam est testificatus. Quod cum nec auditum alias in Polonia fuisse Iacobus Vchanski Archiepiscopus Gnesnen. sua in senatu dicenda sententia affirmasset; & mox Nicolaus Volscius, qui proxime sequebatur, Episcopus Vladislauien. crimine læsæ Maiestatis obiecto eum coarguisset; senex

partim exterritus, partim etiam indignitate rei motus, supplex ad Regios pedes, ne vxorem dimitteret, flens gemensq; obsecrando, est prouolutus. Sed ea Archiepiscopi ad Regem oratio, à Regiis assentatoribus Senatui etiam intermixtis, vt erat Archiepiscopus senex, senectuti & fatuitati eius attributa, à Rege etiam ipso facile fuit contempta. Eo namque perniciosior est adulatio, quo ad vanitatem assentatoris maior aliquando & nec opinata accesserit auctoritas. Venerat autem Neapoli pro iisdem illis Comitiis, Stanislaus Conarius Episcopus Posnanien. cum non paucis nummûm aureûm millibus, qui ipsi à mutuo olim per Reginam Bonam Philippo Hispaniarum Regi pecunia data, quotannis soluebantur. De Ducatus interim Baren. hæreditate nulla fiebat mentio, & in cassum omnes legationes missæ & mittendæ eo nomine videbantur. Cum nihilominus eodem illo, aut modico ante tempore, Petrus Barzi cum amplissimis mandatis, & magno stipendio à Rege auctus, Romam primum,

postea

postea etiam vsque in Hispanias proficisceretur: qua etiam re commotus Rex, Catharinam coniugem, ad suos redire volentem, facilius discedere, & à Ioanne Thoma Droiouio ex Italia veniente magni semper nominis, ac multis magnis legationibus pro Repub. obitis postea claro, equũ admirabilis coloris & bonitatis, sibi donari non inuitus patiebatur. Nam vel inferiorũ munera nobis oblata grato animo accipimus; Regum autem opes, quę tantum abest vt nobis aliquid ferant, vt etiam incommodent, vel nonnunquã taciti posthabemus. Iam vero dum hæc ita Lublini fuerant, & partim Rex Floriani Zebrzidouii Senatoris, bene de se & de Republ. meriti, corpori humando non deesse; partim Tencinii, qui sororem suam Nicolao Zborouio in matrimonium dabat, nuptiis volebat interesse, ij qui emerita flagitabant stipẽdia in arcem impetu facto, Regem quodam modo ipsum occludere, & ad solutionem adigere velle nitebantur. Quod cum Philippus Padneuius Episcopus Cra-

couien. qui in fenestra cum Rege erat, intueretur; illam licentiã bombardis maioribus frenandam non dubitanter publice omnibus audientibus est testatus. Quo nomine tãtam vulgo inuidiam tulerat, vt & cum Ioanne Christophoro Comite Tarnouio Senatore amplissimo, licet non ea de causa, ad apertas etiam inimicitias venisse memoretur. Ægre enim omnes, maximeq; milites Episcoporum, ac nec vnius tumidi quidem imperium aliquando tulerint Imperatoris. Quod vt vel aliqua reprehensione vulgo dignũ in Padneuio videretur, habebat ex aduerso virtutis & tam animi quam ingenii commẽdationem singularem. Nam inde abineunte ætate apud Ioannem Tomicium Episcopum Cracouien. eundemq; regni Cancellarium, cuius tum tanquam legum custodis, summa erat gloria educatus, Quis & quantus fuerit, tum domi tũ etiam foris, multis & variis legationibus obitis declarauit. Ac vnus ille Carolus V. intelligentissim⁹ Cæsar hoc ei testimonii dederat, ꝙ neminem externum legatum

melius & fidentius latine ſuam legationem expedientem apud ſe habuiſſet, cũ paulo ante neſcio quis Polonorum legatus alter apud eum tantum non obmutuerit, legatione ſua & oratione habenda. Sic multi tum virtute propria, tum aliena ignauia maxime interdum illuſtrantur. Sed nos curſum narrationis noſtræ vlterius proſequamur. Ab his quidem Lublinen. Comitiis Rex Sigiſmundus Auguſtus, in Lithuaniam tandem reuerſus, ex Polonis & Lithuanis quibuſque florentiſſimis, & adeo etiam aliquibus in ſtipendium conductis, exercitum ad Radoskouicium duxit ipſe in expeditionem. Vbi multorum præfectuum turmarum Oſtrorogii, Stanislai Radiminſcii, ſed & Stanislai Ciolek de Zelechow, equitum turma non inferior ſpectabatur, qui oppignoratis bonis paternis, ſui Principis gratiam vel illo quoque nomine volebat demereri. Toti autem Polonico exercitui Stanislaus Zamoiski poſtea Caſtellanus Chelmen. à Rege tum erat pręfectus, ſumma liberalitate, & rerum bellicarum in-

telligẽtia pro tempore cõmendatus. Sed difficulter vel aliquid ibi ſperes boni, vbi magis potentiæ oſtentationi, quam ſuæ militumq́; tribuitur virtuti: quæ contemnenda in bello morte, non temere ſperanda victoria ſemper magis elucet. Iam quidem ea Radoskouiana expeditio in autumnum longius protracta, cum caſtra primum ad Radoskouianum oppidum, poſtea ad Coidanouium ponerentur, nec tam factis fortib. quam perpetuis cõmeſſationibus ſtuderetur, ita in caſſum abierat; vt adeo Moſchus quibuſdam ſuorum capitibus abſciſſis, & in caſtra Regia miſſis, Regi adeo inſultaret. Inſolentiores enim tyranni principibus redduntur minime contra ſe bellicoſis. Nam ſiue dicis cauſa, ſiue ſuorum eneruandorum gratia, bellum illud Rex cõtra Moſchum mouerat; magis quam adiumento, detrimento Reipub. ceſſiſſe videbatur. A quo non multo poſt noua Petricouiæ celebrauit denuo Comitia; in qua Eccleſiaſticũ ordinẽ ratione iuris in politicos dicendi denuo minuebat poteſtatẽ. In quę, quoniã,

ob vehementes articulorum dolores, pro præstituto tempore Cuischino non venerat; Ioannem Thomam Droiouiũ vt patienter ferrent ordines moram, miserat se excusatum; sed vt tandem magno cum Comitatu venit, vt exequutionem legum exemplo suo roborasset: eorum etiam in Masouia bonorum, quibus à matre pro pecunia præstita lætabatur, quartam partẽ Rauam intulit; ac quam nauus eius exactor esse vellet Nobilitati declarauit. Cuius fauorem aucupando, instigantib⁹ maxime contra Orthodoxos, vt vocant, Euãgelicis, eã etiã facultatẽ vt dixi Episcopis imminuit, quę censuris Ecclesiasticis in rebelles promulgandis iure optimo antiquitus eorum habebatur. Nam sacra sæpe posthabentur prophanis, vbi vel minima affulserit spes præsentis vtilitatis. Nec ita postea diu retulit se rursus in Lithuaniam, & ex Podlachia Varsauiam veniens, Annam Reginam Plociam allegauit; vbi Petrum Zborouium ex Turcica legatione redeuntem audire, & in Prussiam publicorum negotio-

rum ergo quoſdam Senatores cum nouis mandatis dimittere, ac denique ipſum Albertum Laſcum à Tartaris vſque ad Euxinum ſinum fugatis reuertentem, ſecus quam quidam eius æmuli voluiſſent, æquioribus oculis aſpicere nõ dubitauit. Scribi iam tum fuerant cœptæ, pro futuris Lublinen. Comitiis, literæ, & Franciſco Craſſino ex legatione à Cæſare reuerſo Secretarii maioris demandatus fuerat magiſtratus. Cum Petrus Myskouius Epiſcopus Plocen. factus, Cancellarii munere nihilominus adhuc potiretur. Qui non prius quam anni inſequentis poſt ſequimilleſimum nono & ſexageſimo, Lublini in Comitiis illud depoſuit; & cũ Lithuanis vnio, felicius quam vnquam antea diu multumque tentata, finem ſuum eſt conſecuta. Omnia enim indigent tempore, & tempora lucrandis animis diuturnitate. Quo loci cum illa Comitia à Ianuario vſque in Auguſtum Lublini perduraſſent, non poſſum non meminiſſe Goſcii, quem Rex mendacii conuincere volebat, vatinicii: Is enim

cum non prius ante meſſem, ephemeride edita, finienda teſtaretur, Rexq; ſentiret contrarium: tandem ipſius prædictio tum primum viſa eſt præualuiſſe, cum Lithuanorum præcipui Lublino noctu fugerent: & Regem, vt bellicam expeditionem contra eos decerneret, ſua illa fuga, quod non cogitabat, animarent. Tanta autem illius nocturnæ Lithuanorum fugæ, in quibus Nicolaus Radiuilus & Ioannes Chodkieuicius præcipui fuerant, habebatur vulgo turpitudo; vt voce præconis à pueris conducti quonam aufugiſſent propoſito tanquam pro vagis equis præmio, pleno foro clamaretur. Quod illi haud ita morati, Slucen. etiam Ducem, qui ſi comitiis vnioni aſſenſum præſtitiſſet, locum ſuũ veterẽ inter eos habiturus à Rege credebatur, interea temporis ne Lublinum iret audacter impediebant. Iã vero pro iiſdem illis Lublinẽ. comitiis Selimus Turcarum Imperator, Nobilem quendam Polonum Straſchum, poſtea, cum ad Machometiſmum deſciuiſſet, Imbrainum dictum, apud Maximilianum

Cæſarẽ Francoforti in imperii comitiis, & apud Venetos alioſq; item Principes legationibus clarum, ſubmiſerat: vt non tã fere oratorẽ quam exploratorẽ in patria agens, exercitui Turcico per deſerta & campeſtria Poloniæ loca Moſchouiam verſus eunti, à Rege & ordinibus impetraret facultatem. Res quæ indigna Polono nomine & ſemine procul dubio videbatur. Variantibus tamen, vt fit, ordinum ſententiis, profectus eſt Turcarum exercitus ille Kazanum & Auſtracanũ verſus, per longa & deſerta terrarum ſpacia, Andrea Taranouio, Regis familiari, & Turcicis aliisq; legationibus noto vbiq;, præſente: nec quo infiniti, non tam centeni quam milleni ipſorum Turcorũ & iumẽtorum greges, à muſcis & culicibus eo loci maxime aculeatis perirent, poterat prohiberi. Ac interim aut paulo antea quoq;, tam in Regali quã in Ducali Pruſſia, graues exortæ ſunt etiam temporũ tempeſtates; ita vt Alberto ſeniore Duce iam quodam modo decrepito, externis quibuſdam auctoribus tantum non ad

grauem & periculosam rerum & temporum veniretur conuersionem, & Regalis item Prussia, Gedanen. quibusdam auctoritatem regiam temere sibi vsurpantibus, non parum etiam laboraret. Cuius rei gratia in Ducalem Prussiam Ioannes Sluzeuius Brzesten. Palatinus, Petrus Zborouius Biecen. & Ioannes Kostka Gedanen. Castellani missi, trium capitali supplicio & duorum exilio totum illud quod fuerat mali facile tranquillarunt. Inter quos Chronographus Funccius capitali pœna publice puniēdus, quam docto homini polypragmonisis, vt ille vocabat, periculosa sit, disticho quodam ante mortem recitando testabatur. In Regali vero Prussia plus fuit negotii, ad quod componendum Stanislaus Karnkouius Vladislauien. Episcopus, Ioannes Sirakowski Læcicien. Palatinus & idem ille Kostka Gedanen, ac Simon Schubscius Ginowlodislauien. Castellani à Rege ablegati, quin parum abfuit quo minus violarentur. Gedanen, quidam in culpa dicebantur

bantur esse præcipui, qui postea apud Regem accusati causam in Comitiis dixerunt, & Constantinum Ferberum, Ioannem Preut, Georgium Clefeldum, & Albertum Gisium consulem potissimum reos fuisse accusarunt. Verum cum Clefeldus Lublinũ veniens morbũ simulare diceretur, à Georgio Fridcualdo instigatore regio, vt vel decumbentem afferri se pateretur, fuerat postulatum. Quę tamen ipsa res eo euentu terminata fuit, vt tandem Gedanen. antequam Regi & regno esset satisfactum, ad honestam custodiam in arcem Sendomirien. mitterentur. Inter vero Chodkieuicium summum Marschalcum & Chlebouicium post maximam verborum contumeliam in iisdem Comitiis orta est discordia, tanto magis periculosa, quanto à Rege ipso alta & excitata dicebatur. Affirmabat Chodkieuicius interim dum Polocia capiebatur, Chlebouicium hosti fidem suam dedisse, & nequaquam inter bonos ciues hactenus connumerari potuisse. Testabatur ille se quidquid fecerat, ada-

ctum fecisse necessitate: neque tamen vlla vel minima parte Chodkeuiciis cedere dignitate, quorum maiores hæc & illa pertulisse memorabat. Ne multa, vt inter conseruos serendis iurgiis vitant heri cōtra se conspirationem; sic & Reges suis stabiliendis rebus, & aliorum eneruandis viribus, non illibenter vident procerum altercationē. Vario quippe & multiplici Princeps iste spectabatur ingenio, & q; maxime nolebat, id se vel nonnunquam cupere, & è contrario testabatur. Iam ergo & ab his Lublinen. Comitiis, quæ paulo minus quam integro anno magno æstu & dispendio aluit, iter nouum Vratislauiā ad Cæsarem meditabatur. Erat ea grauis & diu multumque occultata molitio, quā adhuc Cæsaris oratores Guilhelmus Pruschinowski Episcopus Olomucen. & Ioānes Malczanus Baro Silesius pro Comitiis Lublinum venientes incenderant, & Georgius Pruskouius Cæsaris Camerarius extremis comitiorum diebus pro Homagio Ducis in Prussia veniens, adeo etiam infirmarat, postea quam Malcza-

nus

nus ſubito morbo correptus, diem ſuum obiiſſet. Cauſam conuentus Vratislauien. cum Cæſare illius vix aliquis ſciuerat, præter Regem ipſum; qui tamen magis dicis cauſa eo iturus, & tantum vt ſuos tot ſumptibus faciendis, quo poſtea extenuatos obſequentiores habuiſſet, eneruaturus vulgo dicebatur. Conſtat enim locupletiſſimum quenque euocatum à Rege pro hoc itinere fuiſſe, & æs alienum non modicum contraxiſſe. Pro quo exoluendo cum locus & tempus Vratislauiam Regis aduentus à nonnullis præſtitueretur, facilis cõiectura capi poterat, quantum inde priuatim & publice multis importatũ fuerit calamitatis. Incerta enim expectatio opum ſæpe reddit quam plurimos indigentes. Erant vero interea temporis ampliſſimi Regii legati à Moſchouitico Tyranno indignius tractati in Moſcouia, qui quadam veluti nimia oſtentatione Polonicarum opum, & inuidia vicinarum gentium motus, nulla iuris gentium habita ratione, quorundam Polonorum Turcicos, & auro argentoq; exornatos

equos dissecari fecerat, & regium erga se animum barbarie illa vehementer ad iracundiam inflammarat. Cũ igitur de profectione sua Vratislauiam Rex addubitare rursus cœpisset, & Georgium Pruskouiũ Cæsaris nomine apud se causas, quo minus coire liceret, explicantem habuisset, Varsauię indixit Comitia, multis rebus deliberationibusq; memoranda. Causas vero dissoluti Vratislauiẽ.cõuentus Pruskouius Regi secreto istas ostendebat, primum Turcici belli formidinem, contra quem similibus cogendis conuentibus, in quibus gens suspicacissima Turcæ contra se aliqua consilia iniri opinaretur, Hungariam nouo milite & cõmeatu augeri expediret. Deinde fluxam Hungarorum fidem, quorum aliquos, vt Stephanum Dobo, & Ioannem Balazi Polonii, captiuos etiam Cæsar detineret: Tertium Polonorum suspitiones de domo Austriaca varias, quas si Polonię Regi peregrè profecto, humanitus aliquid accidisset, factu erat propemodum incredibile, à multitudine euitare. Sed erat non nemo qui

mo qui Regem Hiſpaniarũ id temporis, mortua ſibi ex Francia coniuge, Cæſaris filiam, quã Sigiſmundus Auguſtus poſtulabat, pręripuiſſe, & illud iter impediuiſſe reeebatur. Quod poſtea exitus ipſe non admodũ fecerat incredibile, cum ex Spirenſibus imperii Comitiis Hiſpaniarum Regi vna, Galliarum altera, filię Cæſaris ad maritos mitterentur. Iam vero coacto Varſauiæ conuentu, & ex proxime celebratis Lublinen. Comitiis electo ad diſquirenda inq; ordinem ſuum redigenda priuilegia, & vetera monimenta Reipub. Ioanne Zamoſcio, tum temporis Secretario Regio, nunc quidem ſummo in Polonia Cancellario, exercituumque pręfecto, à Gedanẽ. cauſa illa quæ & Lublini ventilata cœptũ eſt conſultari. Aderant Gedanẽ. legati præſentes ipſi, & primus ac præcipuꝰ omniũ Matthias Cimerman, Petrus Bech, Hieronymusq; Schiling, & nonnulli alii ſpectabantur; quorum in Rege regnoque ſibi reconciliando, non vulgaris viguit induſtria, tandemq; effectum eſt, vt interponentibus

pro iis

pro iis se regni ordinibus, publica commissi erroris confeßione & deprecatione apud Regem facta, pecuniaque etiam non mediocri ipsi promissa, penitus absoluerentur. Vbi enim personuerit æs, res haud ita tandē difficulter cōponuntur. Quę tamen ipsa promissa, q̄ Gedanē. non omniū scitu, & voluntate fiebāt, irrita postea extiterūt. Verū enimuero his similib. malis & procellis in vno regni angulo aliquandiu sopitis, alia atq; alia infligebantur Reipub. vulnera, nō modo ab ordinib. sed ab hominibus omnib. toto regno improbata. Est quippe Tarnouia Tarnouiorum perillustrium Comitum vetus domiciliū: ad quam diripiendam cum non modo Poloni, sed multi etiam exteri confluxissent populi, res omnino digna videbatur refrenatu, præsertim cum illius magni Tarnouii & tam præclare de Repub. meriti filia & ipsa adhuc viueret, & hæredes procrearet. Sopiuit tamen Rex quanto quidem celerius potuit illud incendium, & aulicum suum Tarnouiam misit Sempolborscium, qui à factiosis haud ita li-

benti

benti exceptus animo, Regiam ab illis abalienauerat voluntatem; sic vt Tarnouia quidem decreto Regio restitueretur, & damna etiam, quæ non erant modica interim accepta, refunderentur. Licentia enim singulis fere venit optata, sed rursus quamplurimis est nociua, & Regibus ipsis euadit odiosa. Studebant interim Liuones rebus perpetuo nouis, & quod alicubi gestum erat male, id propemodũ semper tribuebant tandem Polonis. Ægre enim externorum feruntur imperia, & suorum dilaudantur studia, quantumuis licet imbecilla. Quo magis, cum modico ante tempore Ioannem Chodkeuicium præfectum Samagiciæ & Liuoniæ gubernatorem, Rex Rigam vsque submittere, eidemque Paulum Pacz Castellanum Vitepscen. & Michaelem Dzialinski, Palestinæ & multorum locorum in Asia peregrinatione vltra maiorum stemmata pernobilem adiungere non dubitasset: denuo etiam ex eodem Varsauien. conuentu allegauit Georgium Petcouicium, Samagitiæ Episcopum, aposcopum-

ue, quod à Catholica Religione defecerat potius appellandum, & eundẽ illum quẽ ſupra recenſuimus Dzialinium, nec non & Ioannẽ Meczek Rigen. Caſtellanum, ac poſtremo tandem eodem illo nondum circumacto anno, & Fœlicem Auctum Dzierzgowski Caſtellanum Sochaceuien. & denique Ioannem Leſniowski Pocillatorem Leopoleos, ad eoſdem illos Rigen. cum nouis mandatis amandauit. Verum iam quidẽ illi à Maximiliano Cæſare acceperant literas, quibus pro conſtantia intemerataque fide Romano imperio ſeruata, agebat Rigen. gratias, etiam quã maximas, & nihil non ampliſſimis verbis, quæ ad eorũ cõmoda & ornamenta pertinerent prolixe pollicebatur. Illi vero quoq;, vt nihil de firmitate ſua & erga Cæſarẽ obſeruantia remittere viderentur; miſerant quendã Georgium ciuẽ Rigen. rurſus in Germaniam, mentem Cęſaris (vt in rebus maxime lubricis & ambiguis fit) penitius adhuc exploratum. Quo fiebat, vt tot legatis Regiis indẽtidẽ ad ſe miſſis, nihil certi & definiti reſponſi

darent, nec etiam prorſus Cæſari etiam adhærerẽt. Diu enim tacitus ſteteris, ante quã ad potentiorem te ſemel loquare. Fama interim erat vulgatiſſimum, Cæſarem remiſſa à Rege ſorore nihilominus offenſum, & in Spirenſibus Comitiis, niſi Elector Ioachimus Brandeburgen. obſtitiſſet, apud ſtatus & ordines imperii aliquid contra eum fuiſſe machinatum. Reconciliatis enim Principum inter ſe animis, ſemper nihilominus aliquid reſtat vtique ſimultatis. Nos porro nude, vt cœpimus, & recte ſcribenda hiſtoria quomodo & Reginæ Catharinæ à marito exilium, & ipſius Regis dominium, planum faciamus non fuerit diuturnum. Amoribus ille vel in medio articulorum dolore operam dabat, & nullis aut Senatorum, aut etiam Medicorum cohortationibus mouebatur. Ad quem cum Pii V. ſanctiſſimi illius Pont. Max. de latere Legatus Ioannes Franciſcus Cardinalis nũcupatus Commendonus aduenisſet, reperit Porticum eiusdem Pontificis in regno nuntium, regiis cupiditatibus mini-

me reſiſtentem. Quo magis ipſe quadam ſcheda mortis & vitæ incertitudinis apud eum mentionem fecit, & acute eluendas vitæ mature maculas commemorare apud ipſum non dubitauit. Cui vt à Rege maximus habitus fuiſſet honos, non deerat nihilominus & inuidia, cum ab aliis, tum ab eodem illo Portico clanculum etiam excitata. Porro ſub finem ipſum iam Comitiorum, de Reginæ coniugis ſuæ morte, antequam aliunde certior Rex fieret, ex frequentiſſimo campanarum ſono tandem quid eſſet collegit, quibus cum præter morem tota Varſauia perſonaret, & adeo cor campanæ cuiuſdam ab ea auulſum à ſummo ad ima delaberetur, quod vulgus rem mali ominis habet, breui etiam ſubſecuturum coniugem ſe eſſe dixit, & Nicolaum Meleciun ex Tranſyluanica legatione redeuntem haud ita illibenter aſpexit. Portauerat ille Laurentio Goslicio tum Secretario Regio, nunc vero Epiſcopo Poſnanien. legationis ſocio, variam Ioannis Principis Tranſyluaniæ, in qua adhuc Matthiæ Coruini Hun-

garię Regis quædam etiam fuerat, ſupellectilem:& contra Turcas Bogdano Valachiæ regulo in patriam inducendo bene ipſum geſſiſſe rem, vnde & Corcino eum auxerat, magnopere lętabatur. Quem Chriſtophorus Zborowski in quaſdam nuptias ex Valachia in Poloniam paucis comitibus excurrentem, acceptam iniuriã in eo vindicaturus, captum illo eodem paterno priuauerat principatu. Multi enim priuatę vindictæ indulgẽtes libidini ſe aliosq; peſſundarunt. Iã vero nec pauca neque obſcura illa fuerant, quæ Sigiſmũdi Auguſti Poloniæ Regis aduentantem prænunciabant interitum, quamlibet ipſe magorum quorundã ſuaſu lętiora & diuturniora omnia indies ſibi polliceret̃. A quibus ſeductus cum non niſi anno ſecundo & ſeptuageſimo ætatis moriturũ ſe exiſtimauerat, obiit tãdem à Natiuitate Domini anno ſeptuageſimo ſecundo, menſis Iulii ſeptima die, paulo poſt ſeptimo ſuperato ætatis ſuæ ſeptenario, & ipſo ex Iagellonibus Rege etiã exiſtente ſeptimo; vt verum illud eſſet, quod de ſepte-

nario numero in aliis quoque Regum Poloniæ vitis & hiſtoriis eſt obſeruatum. Nam ſeptem in Polonia Reges conſtat fuiſſe non inauguratos, inauguratos porro ſeptem, totidemque in partes regni tandem diuiſos. Primi ordinis fuerat Piaſtus, Semouitus, Leſco, Zemomiſlus, Miecislaus, Vladislaus Hermannꝰ, & Boleslaus Krzywouſtus. Secũdi ordinis Boleslaus magnꝰ Chobri dictus, Miececslaus, Rex Cazimirus Monachus, Boleslaus Audax, Premislus, Vladislaus Lokticus, Cazimirus magnꝰ. Tertii porro ordinis, Vladislaus exul, Boleslaus Criſpus, Mecislaus ſenex, Cazimirus iuſtus, Leſco albus, Boleslaus pudicus, Leſco niger. Peregrini in Polonia Reges erant omnes ſteriles, Venceslaus Bohemus, Ludouicus ex progenie Francorum Hungarus, Henricus Francus, Stephanus item Hungarus. Vt autem melius valeret, Cniſchinum prægrandi quodã curru profectus eſt, & eo veniens ephemeridẽ afferri ſibi quotidie voluit, in qua quantũ adhuc à Calendis diſtabat Auguſti diligẽter intuebat'. Quidã

enim

enim Nigromanticus Belga, qui Misocacus dicebatur, omnino eum ad septuagesimum secundum ætatis peruenturum, & à natali suo die multos adhuc annos superuicturum augurabatur. Qua etiam de causa & confiteri quidem peccata sua coram Sacerdote diu noluit, & Petrũ Medicum suũ senem hoc nomine sæpius alloquentem se obiurgauit. Postremò tamen nunc ab hoc, nũc ab illo, & maxime à Frãcisco Crassinio Cracouiẽ. Episcopo, multis partim precibus, partim etiam diuinæ iræ comminationibus expugnatus, & coram Clodauita quodam Concionatore aulico cõfessus, peccata sua quæ commiserat amare defleuit, & viatico Corporis & Sanguinis Iesu Christi cum sum̃a deuotione percepto, insequentis diei hora pomeridiana circiter prima aut altera expirauit. Princeps posteritatis non indignus memoria, nisi cunctator dãndis responsis, iisdemq; dubiis, & vna eadẽq; re vni & alteri simul conferenda; & denique vario multipliciq; ingenio aliquando notatus extitisset. Habebat enim à matre illud

consilii, vt frequentia hominum aulam suam non spoliaret, nemini statim respõderet, & Aquilonaria ingenia principio ferrum, postea aquam esse meminisset. Itaque sæpenumero initio Comitiorum ordines regni blande alloqui & petere, in dimidio eorum flere, ad extremum vero peruicacibus solebat adeo imperare: quo ipso duo maxima, exequutionem legum, & vnionẽ cum Lithuanis ratam gratamq; in Polonia fecit: vnã vxorem inuitis ordinib⁹ duxit, alteram è regno dimisit, armamentarium extruxit, & magna magnificaq; alia suæ industrię edidit signa, & proculdubio etiam exempla alicuius felicitatis. Nam Anseaticarum vrbiũ ipsismet flagitantib⁹ protector esse debuit, & Valachiam si vlterius vixisset à Turca se habiturũ nõ temere sperauit; ac nescio q̃d non etiam fauoris ab Electorib. imperii quandoq; in occasionibus expectauit. Quanta vero aula, quam magnifica supellex, quales deniq; ac quanti per orbem terrarum dimissi legati, & tam regni quã aulici fuerint ipsius magistratus,

breuiter etiam exponemus. Aulici toto regno nobilissimi & ornatissimiq; quiq; viri spectabantur, ac vt in multis paucos numerē ex Polonia, Tencinii, Myskouii, Ostrorogii, Firleiones, Czarnkouii, Koscelecii, Lascii, Gostomscii, Senauii, Zborouii, Macieiouii, Ioach. Laurent. ac Barthol. Lubomirscii, Herburti, Droiouii, Fredrones, Mniskones, Bobola: ex Lithuania, Radiuilones, Chodkeuicii, Siēguskones, Sapihæ, Pacones, Zenouicii, Tiskouicii, & alii. Ex Prussia, Dzialinii, Kostcæ, Czemæ, Basinii, Plęmiecii. Legati vero ad exteros Principes ipsius hi fuerāt; primū ad Iuliū III. Pon. Max. Andreas Czarnkouius postea Posnanien. Episcopus cito creatus. Mox ad Paulum IIII. Stanislaum Macieiouium Castellanum Sendomirien. Romam legatos misit. Deinde ad Carolum V. Cæsarem, Stanislao Hosio nondum Cardinale, Nicolao Radiuilo, Stanislao Lasco, Ostrorogio & Padneuio. Ad Ferdinandum Cæsarem Martino Cromero, Archiepiscopo Gnesnē. Przerembio. Ad Maximilianū Impe-

ratorē Nicolao Volſcio, Stanislao Karnkouio, Franciſco Craſſinio, Stanislao Conario, & demum Luca Podoſcio legatis eſt vſus. Ad Regem vero Hiſpaniarum, primum Albertum Kriskium, dein Petrum Volſcium & Petrū Barzium. Ad Regem Francorum, Ioannem Zarembā. Ad Suecorum, Ioannem Tencinium paulo poſt Belzen. Palatinum, & Eraſmum Dembinium. Ad Danorum, Petrum Cloceuium, Andream Taranouium. Ad Venetos Stanislaum Vapouium, & Ioannem Leſnowolſcium. Ad Moſchum Ioannem Crotowſcium Ginowlodislauien. Palatinum, & Raphaelem Leſcinium poſtea Caſtellanum Sremen. Ad Principes Germaniæ multos, imprimis autē Demetriū Solikouium. Ad Italiæ nunc hos, nunc illos ablegauit. In Turciam qui aut publico nomine profecti, aut ab eo deſignati legati fuerant, numerabantur propemodum infiniti: Stanislaus Tencinius & Petrus Zborouius poſt Cracouien. Palatini, Valentinus Debinius Caſtellanus Cracouiē. miſſus quidem in Turciam & ipſe fuerat,

ſed quo minus iter ſuum Byſantium vſq; cõtinuare potuiſſet, in Valachia fuit præpeditus; Bſicius Caſtellanus Chelmen. Brzeſcius Camenecen. præfectus, Andreas Taranouius frequenter Conſtantinopolim, & multi præterea alii adierunt. Hoc eodẽ Sigiſmũdo Auguſto Rege imperante, qui quales rurſus ad domeſticas cõponendas res Senatores & legatos habuerit, iam antea quoq; diximus luculenter. Nã cũ Senatus à ſenio appelletur, ille quidem non niſi iam ſpectatos, & ætate graues ac maturos, in illum ſuum Senatũ cooptabat; partim vt patriſare hac in parte videretur: cum olim pater ſenibus illis ſuis conſiliariis lateri ſuo aſſidentibus externos legatos in conſeſſum Senatus introductos obſtupeſcere faciebat; partim ne adoleſcentulis honoribus dandis, magis loquentes quam eloquentes inſolentesque reddidiſſet. Superbit enim iuuenis magiſtratu, & luxurians in eo oratio ingrata eſt odoratu. Cum igitur talem aulam, tales legatos, tales deniq; habuerat Senatores, vt de numero tot tanto-

rumq; equorum, vt de maxima supellectili gemmarum & vnionum, vt de omnis generis exquisita supellectili taceatur, pręsidebat & tribuebat sibi viribusq; suis quodammodo etiam plusculum, & de breui ac incerto valetudinis suæ exitu, vel ante mortem ipsam, nisi iam quasi in extremo ipsius articulo meditabatur. Quæ postea cũ ita præter eius & multorum spem subsecuta fuerat, vidisses, aulæ illas quas vocant tineas, huc & illuc discurrisse, & impressionem adeo ab aulicis pertimuisse, quibus emerita stipendia inique detinebantur. Accesserat vero & quorundã adeo malignitas, qui iniuriosis conscriptis carminibus demortui adeo rodebãt famã, & vel hoc ipso nomine suã prodebãt malitiam; qui quod viuo vel mussitare ausi non fuissent, cum laruis certare, & nunc hæc nunc illa licentiose contra Regẽ suũ fingere, minime dubitarent. Non deerant tamen boni, & Principis sui amãtes etiã viri, qui ipsius corporis, quod in illis caloribus æstiuis & pestilẽtia graui magno erat in periculo, dignam

curam

curam habebant; & vt Cnischinum vel quamprimum deportaretur procurabant. In quibus Crassinius Cracouien. Episcopus, Nicolaus Macieiouius Palatinus Lublinen. tũ factus, Andreas Opalenius, ac vel imprimis omniũ Stanislaus Sẽdiuogius Czarnkouius, supplicũ libellorũ magister, numerabantur. Fama interim mortis opinione vulgata celerius, non modo ordines, sed & homines omnes tota Polonia perturbauit. Facilius namque dominati ad regium fastigium euehuntur Reges; quam, cum iis priuamur, alibi conquiruntur.

Comparatio.

MIrum dictu est, quam tum feruens, tũ etiã firmus in religione Catholica Iagello fuerit primus; & quam remissus nec scio si interdum non & vacillans Iagellonides postremus. Iagello fuit simplex & rectus, Iagellonides solers, sed obliquus. Iagello dandis responsis expeditus, Iagellonides tardus. Iagello subinde seuerus,

Iagellonides semper indulgẽtissimus. Ille proceribus etiam rigidus, hic in municipales legatos nimis etiam beneuolus. Iagello Episcopatus fundauit; Iagellonides Episcopos facultate iuris dicundi spoliauit. Ille plebeculam ad Deum conuertit; hic argento perpetuis tributis emunxit. Ille Academiam & Academicos Cracouien. munifice fouit; postremus nõ parem illis honorem habuit, nec pro rerum & temporum ratione auctis annona preciis, beneficentia sua subleuauit. Ille non nisi necessitate adactus in Lithuaniã iuit; hic sine necessitate etiã diu in ea aliquãdo latitauit. Iagello nunc in Silesiam, nunc in Hungariã eundo, vel apud exteros etiam inclaruit; Iagellonides domi suæ perpetuo se cõtinuit, & inglorius vixit. Ille modestis & vilibus vestibus, hic superbissimis exultauit. Iagello plures militares homines, quorũ Tencinii & Ostrorogii, & alii ad Grunenualdum & ad Ornetã ipsi in acie ante alios stabant; Iagellonides vt etiam militares, in maiori tamẽ numero doctos suo seculo habuit, Hosium, Cromerum,

Orichouium, Kochanouium, Patricium, Nouicampianum, Sokolouium Gorsciũ, & alios. Prior perpetuo negotio; extremus delectabatur otio, etiam quod expers omnio fuerat ipsius quoque dignitatis. Primus in bellum Prussiæ profecturus, ne se suosque domi frustra absumeret in syluas se abdidit, & magna onagrorum confecta copia exercitui commeatum mature apparauit; postremus suis venationibus nõ nisi luxũ & voluptatẽ spectauit. Iagello pro singulis victoriis Deo ingentes gratias egit, & vt montem S. Crucis, sic & alia sacra loca, gratum suũ testificando animum, pedibus inuisit; Iagellonides nihil minus similia curauit. Iagello fœcunda prole auctus, non tamen de ea tantopere solicitus fuit; Iagellonides nullis susceptis liberis, de eorum tamẽ peculio & reditibus apud ordines perpetuo & solicite laborauit. Sic cui numinis maior quam seminis sui est cura crescit, qui illud neglexerit, emarcescit. Primus clarissimis suis rebus gestis magnũ Poloniæ nomen peperit; vt Dux de Monte

à finibus Burgundiæ eius cliens esse voluerit, & Amurates Turca eo se interponente Hungaris, quos à Sigismundo Cæsare peregre pro Concilio Constantien. profecto commendatos habuerat, arces quasdam restituerit; ac deniq; ipse Sigismundus Cæsar, licet emendicato à legatis Polonicis, eo sibi titulo, inter filiorum Regum Poloniæ falso dici, gloriosum sibi duxerit, & Barbara eius vxor marito statim mortuo, eius filii, qui ad Varnam cecidit, connubium intra se expetiuerit vehementer. Etenim vt impudica optimo, & vt ex Comitibus tantum Ciliæ, Regibus electo, auebat desponsari. At noster Sigismundus Augustus Iagellonides viuens & moriens nihil horum habuit, sed tantum sibi & regno hostes multos peperit, & Poloniã, vt in hanc vsq; diem quiescere non posse videatur, morte sua perturbauit. Ac ne multa, largus remunerator est Deus veræ & non assimulatę pietatis, & sine eo nihil vsquequaq; in regnis, coniugiis & posteris habetur firmitatis.

FRAN

FRANCISCI SFORZIÆ PRIMI DVCIS ME-diolanen. Vita.

MAgnus & magnanimis heros, Franciſcus Sforzia primus dicebatur, qui abdicato Arendulæ familiæ nomine, paterni cognominis & appellationis titulũ fecit ſibi gentilitium, multis multarum rerum geſtis triumphisque decoratum. Habuit is patrem, clari nominis bellatorem, qui aliquando cum ingentem exercitum duci vidiſſet in expeditionem, & ſeipſum ad aratrum poſitum ingemuiſſet; magnitudine quadam animi & indignitate ſuæ conditionis permotus, ſecurim, quam habebat in manu, in celſam arborem proiecit, ſimulque votum vouit, ſi ſecuris ex arbore non decideret, non amplius raſtra, ſed caſtra potius ſe ſecuturũ. Quod etiam fecit, non ſolum nauiter, ſed adeo etiam apud diuerſos diuerſorum nominum Reges Principeſque glorioſe. Facilius enim ab imis, vel ad mediocria eſt progredi, quam poſtea ab iis ad maio-

ra celsioraq; peruenire. Huius ergo filius, Franciscus noster dictus, paternæ virtutis & gloriæ hæres & æmulus factus, diu quoq; vaga & mercenaria arma vario marte circumtulit, & ægre supra aduersæ fortunæ difficultates eluctatus, viuido spiritu sese ad ingentem nominis famam omnib. bellis ita extulit, vt tandem etiam Bactrianarum partium perdomitis reliquiis & certa tam bello quam pace profecta diuinitus felicitate, amplissimo Mediolanen. potiretur principatu: quem hac quidem ex causa & occasione maxime fuerat consecutus. Duxerat ille Mariæ Ducis Mediolani filiam, atque ita non solum liberis, sed etiam enucleatis Mediolanen. suffragiis, nec tam cito Mediolanen. amplo illo & exaggerato potitus est principatu, quam bellum mouit florentissimæ Venetorum Reipub. à qua Bergomum, & Briziam, socero olim suo ereptam, querebatur. Qua etiam de causa vario & ancipiti marte bellum diu gessit, nec prius quam quarto & quinquagesimo supra quadringentesimum anno Christi certis initis

cum Venetis pactis ab eo cõquieuit. Difficile enim fuerit vi semel tranquillare mota, & sedare cum volueris procellis agitata. Graues interea temporis Baronum contra Ferdinandum Regem in regno Neapolitano exortę erant seditiones. Quibus ille sopiendis, vt gratiam Arragoniis referret Regibus, qui ipsius patrem ab imo ad summa extulerant, Alphonso Arragonio Ferdinandi Regis filio Hyppolitam Mariam suam natam in matrimonium elocarat, & opportunis ferendis auxiliis illam Baronum contra suum Regem molitionem penitus extirparat, quantumuis licet ipsemet Rex eius rebellionis se præbuerat auctorem. Multi enim non Regem, sed agunt sæpe tyrannum, & ad præstanda in malis etiã rebus sibi auxilia cogunt affinem & necessariũ vel nonnunquam. Nec multo postea idẽ Franciscus Mediolani Dux, missis Genuã militibus, Gallos illa vrbe eiecerat, satis non solum fidenter, sed plusquam etiam animose. Nam non cuiusuis tum temporis fuerat Gallorum Reges bello

laces-

laceſſere, qui fere in orbe terrarum ſoli maximis opibus & reditibus tum lætabantur. Quo etiam nomine, tanti beneficii Genuen. grati, viginti ſplendidiſſimos legatos ad eum miſerunt; & ſuaque omnia ſemper ipſius poteſtatis fore viciſſim promiſerunt, adeo vt deditionem etiam publice facere ipſi, ſi voluiſſet, pollicerentur. Sed ille ſuo contentus, gratias tantum ipſis egit, & dominatui proprio acquieuit. Ad Regem autem Galliarum quem offenderat conuerſus, cum aliam meliorem ipſius demerendi cauſam & occaſionem non inueniret, filium Galeazium, cum non contemnendis copiis, contra rebelles miſit ei opitulatum. Crebra quippe id ætatis ſubiectorum in dominos erat rebellio, & domini quoque in eos impotentia animi haud mediocri laborabant. Annus vero, quo hæc acciderant ſupra mille & quadringentos ſextus & ſexageſimus à nato Chriſto numerabatur. Quo tempore idem ille viciſſim Aloyſius Galliarum Rex ampliſſimam legationem ad eum mittere, & gra-

tias illi maximas agere non dubitauit; quod quidem nec rogatus illa tam opportuna ſubmiſerat ipſi auxilia, quibus factioſorum conatus & molitiones contra eum maximæ ſunt infirmatæ. Vnus enim amicus in tempeſtate pluſquam centum valuerint in quiete. Verum enimuero vt in rebus humanis nihil quidquam firmum, ac nec fuerit quidem etiam diuturnum, ita & hic optimus Princeps, ac quaſi Principum ſui ſeculi lumen, mortuus poſtremo eſt, magno ſuorum bonorumq; adeo omnium deſiderio, & non diuturno filii poſt ſe relicti etiam principatu. Qui progenitori ſuo multo diſſimilis factus, ob ſtuprum, nobiliſſimæ cuidã virgini Lampugnanæ illatum, quam etiam fratri germano nocte quadam ſtuprandam obtulerat, ſed frater voce ſororis agnita ipſam non vtique violauerat, in Æde D. Stephano Mediolani ſacra, ipſo eius etiam die, puellæ à fratre eſt interfectus. Qui cum poſtea, coniuratis cum aliis graui & acerbo ſupplicio afficeretur, magno illo & inuicto exclamauit ad ſe animo: Collige te

Lampugnane, inquit, stabit vetus memoria facti, mors acerba, fama perpetua. Nã reuera ea immanitate ille Princeps prçditus fuerat, quæ poterat esse maxima; non modo vagis libidinibus, sed nullis etiam nõ scelerib. crudelissimis in pueros exercendis. Cuius cũ venatici canes, ad id vt homines etiã occiderẽt ab eo alti & exerciti impotenter, instigati puerum quendã adoriri noluissent, ipse satellitibus suis confodere eũ iussit, & cui belluæ parsum esse voluerant, Ducis effrenis natura & instigante solita ferocia, non pepercit. Sic procul à suo stipite cadũt sçpe poma, & à bonis progenitoribus immiti quadã liberi generãtur natura. Franciscus quidẽ Sforzia Dux Mediolanen. primus ita per omnẽ vitã admirabilis fuit, vt præter inuictum animi viriumq; robur, summa alia haberet dona; quæ siue natura siue exercitatio poterat homini cõtulisse, personæ scilicet dignitatem eximiam, & probum, ac in omni cõgressu sine tumore aspectũ, suis pariter hostibusq; venerabilem, sic vt in eo aliquando pro re & occasione ad mi-

lites

lites concionante, diserti oratoris multi suspicerent facultatem dicendi. Quæ tāto admirabilior fuerat, quanto ipse sępius expertem se profitebatur literarum, & nihilominus verę laudis erat perpetuo cupidꝰ. Quod vel doctissimis viris circa se proxime alendis mirifice delectabatur, & à Ioanne Simoneta insigni Historico, atque à Phileto Poeta præcelebri patris & suas res gestas voluit celebrari. Nulla .n. maior voluptas & dignitas est Principis, quam laudum suarum præcones eximios aluisse. Obiit autem senex lento quodam sublatus morbo, absoluta arce Mediolanen. numerosa relicta prole, si paternæ auitæque virtutis quam nominis æmula esse potius voluisset. Non deerant tamen, qui vel in hoc etiam optimo Principe aliq̄d aliquādo desiderarent; nēpe inexplebile vindictæ studium, & quod Bactrianæ factionis nunquam oblitus, Ioannem Picinini filium, summæ spei Ducem, sub quo Bactriana militia pristinum suum florem recuperare posse vulgo putabatur, nequaquam integra fide in generum a-

ſciuerit;ſcilicet vt eo pignore vinculoque deceptum,ad teterrimam necem Neapolitanorum Regi Ferdinando prodidiſſet. A quo contra datam ſemel fidem, refricante veterum offenſarum memoria, vir impiger in tetroq; carcere ab Æthiope ſeruo ſecuri interemptus memoratur: Nefas enim Principes vltionis libidinem ſacroſanctæ fidei & hoſpitalis menſæ religioni fuerit prætuliſſe.

FRANCISCVS SFORZIA DVX MEDIOLANEN. *poſtremus.*

NON tam quidem citò Franciſcus Sforzia Ducis Mediolanen. filius ad ſacras vndas fuerat dictus, quã ob grauia & execranda progenitorum ſuorum ſcelera, eum in familia vltimum futurum non nemo augurabatur. Cum enim Franciſcum primum virtute nemo Sforziorũ adæquaret: & contra horribilia ſcelera quamplurimi eorum perpetraſſent, in hunc qui reſtabat faba (quod aiunt) cudenda, & diuina Næmeſis, quæ nemini

parcit, videbatur postremo exerenda. Quod tāto credibilius etiā fuerat, quanto in ipso dominatus principio domesticorum suorū maiores expertus est insidias, & tantum non crudelissime à quodam interemptus. Erat is Bonifacius nomine, cuius maiores (vt vulgo tum fama ferebatur) cum in Vicecomitum clientelam aliquando suscepti fuissent, patronorū cognomēto (quod in clarissimis sæpe accidit familiis) humilitatis sui ortus occultauerant, & Illustrissimæ Vicecomitum genti se inserueranr; cum tamen ex paruo agri Mediolanen. vico, quod Castellum dicitur, fuisse cōstaret oriundos. Huic Bonifacio cum angusta (quod aiunt) res fuisset domi, Vicecomitum tamen nihilominus turgeret cognomine, & generi meritisque suorum multa deberi reeretur; à Francisco Gallorum Rege grandi collata pecunia facile persuasum fuerat, vt Dux ab eo Mediolani interficeretur. Contigerat eo tempore Ducem egredi Modeciā: quo Bonifaci⁹ triduo ante profectus XII. Calendis Septemb. id quod animo agi-

tabat, si potuisset efficere minime dubitauit, ac simulatq; mulā Mediolanū reuertens Dux conscenderat, equites omnes, quos ad sui corporis cōduxerat custodiā, & plerosq; nobiles iuuenes, qui ipsum obseruabāt, præcedere iussit; ipse cū paucis selectis grauiorib. Senatoribusq; viris sequebatur, tāto quidem interiecto loci ipsius spacio, vt puluis incedentium equorum excitatus nihil insequentibus officeret vel tantillum: Solent enim Principes diu se hunc puluerem expectasse se profiteri, sed refugiunt tandem eo potiti. Inter eos autem qui Ducis mandato, vel non audito vel neglecto, cū Duce remanserant, etiam se immiscuit tanquam aliud quid agens Bonifacius, & in primo quasi ordine Ducem comitabatur. Qui medius inter Alexandrum Bentiuoglium, & Olradum Lampugnanum Senatores, nihil veritus insidiarum, equitabat. Iam vero cum à Modæcia duobus millibus passuū forte distaret, Bonifacius exequēdæ rei tēpus aduenisse ratus, admisso celeri cursu equo, nudato pugione in latus

sini-

ſiniſtrum Ducem percuſſurus, ex improuiſo aggreditur; cui multa & magna quo minus lethale accepiſſet vulnus auxiliabantur. Nam cum idem ille Bonifacius ſtatura eſſet proceriore, & altiori etiam equo inſideret, ac deniq; circumequitantium monitis, vt ſibi Dux caueret, præmoneretur; in collum mulæ ſtatim caput inclinauit, Bonifacio vero pileus in oculos decidit, & feriendi grauiꝰ Ducē facultatem eripuit; qui leue vulnus tantum accepit, & ſtatim vt proditor caperetur exclamauit. Qui tamen capi à nemine potuit, ſed in Vercellen. agrum protinus aufugit, vbi Gallorum equitum turmæ plures exitum inſidiarum expectantes eum præſtolabantur. Sic diſponente Deo Opt. Max. non ſemper quæ audent & auent exequuntur proditores. Sed Dux eo caſu non perfractus, vt iuuenes, præſertim vero magni generis & potentiæ Principes ſolent, non vſquequaque dignitati, ſed quaſi etiam perpetuo magis ſtuduerat voluptati; & interim etiam apud Carolum V. Imperatorem Romanorũ in

nescio quam suspitionem venerat cum Gallis conspirationis: quod de Principe in Maximiliani primi Cæsaris aula educato licet non statim Cæsari faciebat fidem; sub literis tamen fidei publicæ oportuerat eum Bononiam venisse, pro inaugurationis eius die, deprecatum. Quo vbi venerat, genibus prius flexis conscidit statim Cæsaris literas, & illud Psalmographi apposite vsurpauit: Domine, inquit, non intres in iudicium cum seruo tuo. Quem Cæsar Germanice cum eo loquens humanissime est consolatus. Aderat, qui euentum earum rerum Cæsarisq; de Mediolano deliberationum auide expectabat, Antonius de Leua, Cæsaris exercitus Dux veteranus, qui etiam paulo ante datis ad eum literis, his verbis, ne Mediolanum dederet, hortabatur. Iulius, inquit, Cæsar ignarum literarum Sullam dixerat, quod Dictaturam deposuisset: sed tu multo eris Cæsar imprudentior, si Mediolani & Florentiæ in Italia amiseris principatum. Nam multo certe his potiare tu iustius, quam patriæ suæ Cæsar extiterat do-

mina-

minator. Iam quidem ſatis ſuperque conſtitit, ſemperq; conſtabit, quo iure & titulo hæc tu poſſideres, cum feuda imperii habeantur: quod Monzoni, & Valodoleti ſatis luculenter pro te eſt pronunciatum: ſed adiiciam ego illud etiam: Omnia regna & prouinciæ hoc habent ceu fundamentum quoddam proprietatis, quod antiquitus ab aliis occupata ſunt & fuerunt. Quęro enim quid habuerunt Romani iuris orbe terrarum poſſidendo? Quid habuerunt Gotti quòd Hiſpanias? Quid Franci quòd Gallias? Quid Vandali quòd Africam? Quid Hunni quòd Hungariam? Quid Saxones quòd Angliam occuparunt? Vetus & verum eſt prouerbium: Ius Regum in armis eſſe. Quod ſi hæc inceſſit te religio, vt Mediolanum miſſum facias, eadē moueat, vt relinquas & Hiſpanias, & conſcientiæ progenitorū tuorum conſulas. Verum ſi Francorum Rex tanquam clauem Regni ſui Burgundiam eſſe voluit, quî tu Mediolanum Italiæ non eſſe patiare? Non præbeas, non præbeas cauſam, Cęſar, vt de te iuſte poſſi-

mus queri, expertem te fuisse literarum. Nam re vera possum fari libere, Modicas te sciuisse cum Francorum Rege capto, nesciuisti recuperare Burgundiam; & plura alia, cum nesciuisti obsepire Lautrechio vias, cum in Gallias iuisti tanti exercitus cum dispendio, cum ad mœnia Viennæ nullum contra Turcã memorabile facinus edidisti, & multa similia. Vide ergo ne & Mediolano restituẽdo ignarus habearis literarũ. Quod si dixeris, Difficile esse vno eodemq; momento debellare Galliã atq; Turciam: difficile fateor, sed non tamẽ vsquequaq; factu tibi prȩsertim incredibile. Arragonii Reges soli & modici infestarunt gentes, & nationes tam in Mauritania, quam in Asia sitas; & tu id nõ facias, qui habes Germanias, magnam Italiæ partem, Belgium, & ipsas denique Hispanias? Agendo & audendo res Romana creuit, & tu cresces proculdubio, si regnum regno, prouinciam prouinciæ iunxeris, & non huc atque illuc mente & consilio vacillabis. Hæc quidem Epistola Hispanice scripta, vt aliquid apud Cæsa

rem

rem valuerit; plus tamen valuit ratio, & tã Pont. Max. Clementis VIII. quã & Venetorum, Ducis Mediolanen. cõmendatio: quæ effecit vt tandem principatui ſuo reſtitueretur. Nam delectabatur quidẽ Cæſar maxime eius moribus & ingenio, adeo vt Chriſtianam Chriſtierni Regis Daniæ & ſororis ſuæ filiam in matrimonium ipſi daret; & nullam non beneuolentiæ ergo eum ſuæ ſignificationem publice & priuatim declararet. Quem etiam omniũ Ducum Italiæ aiebat eſſe prudentiſſimũ, quibuſcum aliquando ſermones ſeruiſſet. Qua etiam de cauſa vt dixi ſororis ſuæ dederat ei filiam thori conſortem, cui nõ ſuperuixit, ſed ipſi Vegeuennam Vrbem teſtamento legauit; reliquum vero totũ Mediolanen. principatũ Carolo V. donauit Imperatori. Mortuus porro eſt Anno Domini 1535. Oct. 24. Sepultus inſequenti die in Capella maiori Eccleſiæ præcipuæ Mediolanen. Quem omnes omniũ nominum, ætatum & conditionũ homines luxerunt, & digniorem longiore vita quam patrem ipſius iudicarunt. Habuit

quip-

quippe patrem dictum Morum Principẽ profligatissimũ, ad cuius effigiẽ vbicunq; eam viderat Regina Poloniç Bona expuebat, & proditorem Italiæ, vt re vera erat, appellabat, qui à pupillo in se hçreditatẽ transtulit, & postea in decennali Gallicò carcere à suis Heluitiis militib. proditus consenuit. A cuius morte non iste Dux quidem, sed frater natu grandior Mediolanum possederat, qui Gallorum armis, eo principatu exutus, assignatis ipsi pensionis loco viginti quinque aureûm numûm millibus, in Gallias ex Italia nolens volẽs fuit extractus. Hic vero in aula Maximiliani Cæsaris primi educatus & altus, nullis relictis liberis, vitæ finem & Sforziorũ apud Mediolanum attulit dominationis. De quo illud Franciscus primus Gallorũ Rex crebris vsurpabat sermonibus, inuidere se Francisco Mediolani Duci potissimum Consiliarios, sine quibus iampridem corruisset. Qui ita quidem eius vitæ & amplitudinis extiterant studiosi, quod ante etiam memorauimus, supplices ab eo vt peterent, suppositititium pro suo par-

tum,

tum educari alicubi pateretur; tantum ne ad tam grauem & periculoſam Mediolani mutationem veniretur: ſed conſtanter bona conſcientia id facere non poſſe ſe aperte teſtabatur. Factu, aiens, eſſe incredibile, quo minus ob maiorum ſuorum tot tamque atrocia ſcelera in alienas manus ille principatus non deuolueretur. Tandiu enim patienter impunita Principum Deus ſuffert ſcelera, quoad ipſi tandem cum vniuerſa ſua progenie ad ima à ſupremis gradibus non deturbantur.

Comparatio.

PAruis ex principiis primus Sforzia ob virtutem euaſerat magnus, at non nemo ex ſequentibus eius poſteris peſſima morte fuit mulctatus. Quia ille libris, hi liberis etiam illegitimis operam dabant; & ille doctos præmiis, hi pœnis afficiebāt pueros etiā innocuos. Inter quos ille, qui occiſus in Æde D. Stephani fuerat, notabatur, & Ludouicus Morus, qui Italiæ appellabat ſe arbitrū, mox vero Gallorū extitit mancipiū; & dum Arragonios Nea-

poli velle pellere, viſus eſt ſeipſum carceri Gallico pręparare. Infœlix qui Laurentio Medici, ꝙ à recta apud Florentiam aberrauerat via, aliquando exprobrauit, poſteaquam à ſuis Heluitiis in Helueticas veſtes indutus, poſtea vero Gallis proditus, nō ſolum ſe, ſed & poſteros ſuos tam amplo principatu ſpoliauit. Sed vere dicit quod de male partis vix tertius lętatur hæres, & Tyrannus in annum tertiūdecimum eſt ſuperſtes. Immanitatem enim exercere, hominem plane eſt exuere, & indigni diuina miſericordia, qui in mundo immundo nobilitari cupiunt animi impotētia. Sicut ille, qui in ędeD. Stephani occiſus eſt Sforzia, qui cum canibus obieciſſet pueros, & illi mactare ipſos noluiſſent, tandē vt ſatellites eos occiderent imperabat. Deus quippe penes quē ſumma poteſtas reſeruauit ſibi tria, Honorē, Iudicium, & Vltionem; quæ ſemper erūt his, qui ſibi illa præter eum vendicauerint, in illo iudicio extremo & tremendo contraria, cum omnia omniū nominū tā muta, quam loquentia, contra nos clama-

bunt, nosque de minutissimis non solum dictis & factis, verumetiam cogitatis rigide accusabunt.

FINIS.

C. V. C. C. Lectori. S.

QVi historiam posthumam dixit debere esse filiam, næ ille perperam dixisse, & omnia in rebus minutatim videtur dispexisse. Ideo enim historiam quoad vixeris edas, edisse ut non frustrate proculdubio ostendas; & si alicubi in aliquo erratum est, monitus corrigas, & hic quam ante illud supremum tribunal potius erubescas. Difficile est placere cunctis, nec autem desiderandum vniuersis, maxime vero iis qui antequam aliquid legerint, iudicium ferre; & antequam omnia euoluerint, soliti sunt condemnare. Sed si nihil his commentationib. cōmendationis habeas aliud, ipsa fuga ocii, & quod scribendo legenda, legendo discis scribenda peccati antidotum habueris salutare. Quod vtinam intelligant intusq; legāt plures, quibus & plus luculentioris ocii, ac fortasse est & ingenii, modo in au-

cupandis

cupandis opibus aut voluptatibus, non quærant plus encomii: si non potius fastidii & exitii sempiterni. Viuere namq; & bibere magnum est discrimen. Ego, quod ad me quidem attinuerit, pro mea tenui & infirma parte quæ possum præsto; ad Christi primum, deinde etiam ad Poloni nominis gloriam & vtilitatem Reip. sempiternam. Quæ rebus anteactis vere & fideliter posteritati mandandis, aliqua saltem ex parte iuuatur, & haud dubie decoratur: & deniq; boni ciuis fuerit, ne res rerumq; & virorum nomina, scitu & memoratu digna, alto silentio aliquandiu inuoluta, temporis edacitate emarcescăt. Tu nos nostrumq; hunc quantulumcunq; laborem, qui non solum ex nostris, sed exterorum etiam libris fideliter manuscriptis veracißimis constat historiis, gratia non inuidia digniorem puta; & negligendis tuis, carpendis vero alienis, non multo te semper habendum scias prudentiorem. Vale. Craconiæ, XXVIII. Martii Anno 1603.



Magnus Dnus et laudabilis nimis

Justus

Anno Dni 1651

Anno

Accepi hunc librum dono à Dnō Venceslao Czechs nic Musico elegantissimi Magnifici Dni Dni Joannis Carolo Palatini dis Lublinensis

Stanislaus [illegible]

[illegible]

